DE CONCILIIS.

QVOMODO

APOSTOLI CHRISTI DOMINI

in primitiua ecclesia suum illud Hierosolymis Concilium celebrauerint, & quanto cũ fructu, quantaq; pace: quomodo item Romani Pontifices in extrema mundi senecta, à quingentis & amplius annis, sua illa Concilia celebrauerint, et quanto cum damno perturbationeq; fideliũ, Breuis ex historijs commemoratio, in duos distincta libros, authore Heinrycho Bullingero, Tigurinæ ecclesiæ ministro.

Johannis Herd. feldii.

IESVS.

Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea: ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI
Excudebat Christophorus Froschouerus,
Mense Ianuario. M. D. LXI.

Bibliotheca Schaffhusiana Bullingeri p. 1.

AD CLARISS. VIRVM D. BERNHARDVM A CHAAM amplis. Reipub. Tigurinæ Cos. dominum suum colendiss. de instituto & argumento huius Operis, Heinrychi Bullingeri Tigurinæ eccleſiæ miniſtri, Præfatio.

MVLTVS *ſanè fuit ſermo à multis iam annis, & habetur etiam hodie uarius de Concilio generali celebrando: quando ea omnibus fermè inſedit opinio, fore ut per hoc componantur grauia noxiáque per orbem Chriſtianum graſſantia diſsidia, deinde eccleſia quoque deprauata certè in multis, reformetur: quam ſeculis aliquot optimi quiq; indigere reformatione clamarũt, reformationemq; legitimam totis animis exoptarunt. Et quidem minimè uideretur mihi ſanè de emẽdatione ſalubri melioreq; rerum, alioqui perturbatiſsimarum, ſtatu deſperandum eſſe, ſiquidem Concilium aliquod legitimum ritè conuocaretur, & more apoſtolico celebraretur. Etenim ſi ratione diuerſa & maximè inſtituto aut more Papiſtico celebretur, non modò nulla eſt ſperanda aut corruptelarũ correctio, aut perturbatarum rerum compoſitio, ſed timendæ etiam, imò ex-*

Occaſio huius operis.

pectandæ etiã ſeditiones crudeles, ac horrida bella. Id ne quis exiſtimet ex inuido potius affectu, quàm iudicio ſano progredi, commemorabo in hoc Opere ex hiſtorijs, quid de Concilijs ab annis 1500. celebratis ipſa ueritas teſtetur, totamq; hanc commemorationem partiar in duos libros. Priore oſtendam quomodo Apoſtoli Chriſti domini noſtri Hieroſolymis in primitiua Eccleſia, magna trãquillitate & eximio cum pacis fructu celebrarint Concilium: unde quiuis nullo negotio colligere poterit, ſi hodie quoque inſiſtamus Apoſtolorum ueſtigijs, & eadem ratione, eodemq; ſpiritu Chriſti imbuti, quo iſti fuerunt donati à Domino, Concilium inſtituamus, celebremusq;, pacem conſecuturam certò, ſaluberrimamq; reformationem. Poſteriore uerò, demõſtrabo Romanos pontifices in extrema mundi ſenecta, ab annis quingentis & amplius magna cum perturbatione, maioreq; detrimento eccleſiæ Chriſti ſua inſtituiſſe celebraſſeq; Concilia, utpote quæ cædes ferè, ſeditiones horribiles, & grauiſſima bella ſint conſecuta. Ex quibus rurſus colligat quilibet, ſi hodie iterum ritu moreq; pontificio conuocetur & celebretur Concilium, non modò nullam fore ſpem ullius pacificationis & reformationis, ſed inde etiam exorituras turbas graues, ſeditiones crudeles & horrida bella. Ad quam quidem rem demonſtrandam

Argumentum huius operis.

atq;

atque adeò omnium oculis exponendam utar fide, quod & modò dixi, historica, ascriptis ubique historicorum aut authorum & nominibus & uerbis ipsis. Quæ omnia fidelibus propono hominibus iudicanda, ut cernentes quid olim ecclesiæ dei profuerit aut nocuerit, hinc nunc quoque colligant, quid hodie quoque uel prodesse possit ecclesiæ uel obesse, atq; ita promoueant ea, quæ faciunt ad pacem incolumitatemq; ecclesiæ, fugiant autem ab ijs, quæ perturbant & perdunt Christi rempublicam. Piorum enim consilia omnia & actiones omnes, unius dei gloriam, ecclesiæ Christi tranquillitatem, & reipublicæ salutem unicè spectare debent. Imprimis uerò tibi, Bernharde à Chaam uir clarissime, domineq; colendissime, hunc laborem meum inscribo ac dedico, quòd intelligam te in uarijs nostri temporis de Concilio rumoribus piè solicitum esse, de his, quæ olim scripta sunt de Concilijs, imò cogitare seriò de pace ecclesiæ ac Reipub. & conseruanda & propaganda: & quòd norim te priuatis ac publicis negotijs ita distractum esse & impeditum, ut historijs euoluendis, & his prolixè cognoscendis te impendere non possis. Compendium ergo huius argumenti tibi exhibeo, & quidem fidele: unde pro tua singulari prudentia intelligas, quid sperari possit ex celebratione Papisticorum Conciliorum, aut quid eccle

Finis huius operis.

Dedicatio operis.

ſiæ & reipub. Chriſtianæ omnibuſq; pacem & ueritatem amantibus ut utile aut ſalutare uel proſequendum ſit, uel ceu noxiũ aut turpe ſit fugiendum. Hortor autem tuam pietatem, ut in hac Concilij cauſa, & in omnib. alijs ſalutem uel incolumitatem eccleſiæ ac reipub. attinentibus pius, fidelis, prudẽs, & fortis eſſe pergas, laudem & præmium ſempiternum proculdubio accepturus à munifico et fideli Domino Deo noſtro, qui tibi tuisq; per Chriſtum benedicat, ac te in omni bono confirmet, à malo protegat, fortiter ſemperq; tueatur, atq; clementer conſeruet. Amen. Tiguri, XVI. Nouemb. Anno Domini

M. D. LX.

DE CONCILIIS
LIBER PRIMVS.

Concilium quid ſit. Quæ item ſint eius diſcrimina. Et quod uſus eius ſit antiquiſsimus & celeberrimus. CAP. I.

NITIO dicam paucula de ipſo rei uocabulo. Cõcilium aiunt Latini ſcriptores dici à concalando, id eſt conuocando. Eſt enim Concilium conuocatio, cœtus, aut cõcio & multitudo collecta aut conuocata uirorum populiue alicuius, ad iudicandum, conſultandum uel tractandum de rebus propoſitis uel proponendis. Recepta eſt Latinis uox Græca σύνοδος ſynodus, quæ idem ſignificat. Concilium.

Sũt aũt Concilia uel priuata uel publica, Eccleſiaſtica denique, quæ ſynodi ferè dicũtur, & Politica, quæ & Comitia nuncupantur, in quibus agitur de rebus ciuilibus, ad regna uel Reſpub. attinentibus. Eccleſiaſtica enim ſunt hominum piorum de eccleſię rebus cõſultantium. Quæ quidem in triplici ſunt diſcrimine. Eſt enim particulare con- Diſcrimen Conciliorum.

cílium, quod appellare poſſis, τοπικὴν ἢ μερικὴν σύνοδον, localem & particularem cœtũ, quando ex uno & certo loco aliquot conueniunt homines ad tractandas res eccleſiaſticas. Nationale uerò aut prouinciale Concílium dicitur, quod ex prouíncía uel natione aliqua, ut Germanica, Gallica, aut Anglicana conuocatur ad conſultandum de rebus eccleſiaſtícis. At Vniuerſale uel Generale, catholicum item & œcumenícum íllud eſt, quo omnes aut plerique habitati orbis (qui οἰκουμένη dicítur) homines, atque adeò eccleſiæ omnes, quoad eius fieri poteſt, ad res ſacras conueniunt tractãdas, lícet ſinguli fídeles non adſint, ſed delecti duntaxat eccleſiarum nomine mittantur, atque ín cœtu ſacro conſídeant. Neq; uerò longè à ſcopo aberraſſe uidentur, qui exiſtimant uniuerſalía uel œcumenica Concília índe eſſe appellata, quod ſolus ipſa Imperator (quippe orbis alíquãdo dominus) cõuocare poſſet. Prouincialía enim quondam uel prínceps prouínciæ, uel metropolíta cõuocabat: cuius rei aperta ín Nouell. Iuſtín. Conſt. 122. teſtímonía ínueníuntur.

Oecumenicum Concilium.

Celeberrímus eſt autem uetuſtíſsimusq; Conci-

Concíliorum apud ueteres uſus, id quod ſacra ſimul & prophana atteſtatur híſtoria. Quoties enim uel in politicis, uel in eccleſiaſticis rebus dubíus & anxíus hærebat populus, ad concília ceu ad ancoram ſacram rectà confugíebant prudentes. Ergo Moſes & Ioſue, Iudíces, Reges, Sacerdotes, & populus Iſraelíticus legitur in Sacra híſtoria Cõcilíjs ſeſe ex maxímis extricaſſe difficultatíbus, & in Cõcilíjs ſtatuiſſe de rebus maxímis. Conuocauit nõ ſemel Dauíd ex regno ſuo Concília celeberríma, & ín hís tractauit de rebus etíam ad religionẽ pertínentíbus, non modò de regní íncolumitate. Hoc ípſum feciſſe legitur Ioſías ſynceriſſímus ílle & laudatiſſímus corruptæ eccleſię reformator. Vulgò notum eſt Concílium Carmelítanum, quod ín monte Carmelo ſub Achab rege celebrabatur ínter hæretícos, ſchíſmaticoſq; Baalíſtas, & orthodoxum & catholícum prophetam Heliam, præſente uníuerſo populo. Notum eſt omnibus & Galaadíticum Concílium, de repetenda bello Ramoth ínſtítutum, ín quo centuríæ alíquot prophetarum ſub ínclytis regíbus Ioſaphat & Achab díſputãt

Vetuſtiſſimus eſt uſus Conciliorum.

contra Micheam prophetam. Frequentiſ-ma item tuerunt concilia procerum & populi Iudaici contra prophetas dei fideles, contra ipſum Chriſtum dominum, & contra ſanctos eius Apoſtolos. Ita leguntur & ſacri cœtus ſanctorum Apoſtolorum, ut ille omnino fuit, quo Matthiam Apoſtolis adiungunt, quo etiam diaconos aut œconomos eccleſiaſticos deligunt, quo denique ſpiritum ſanctum accipiunt, & Euãgelium ſolenniter prædicant. Excellentiſsimum uerò, aut non minus clarum illud creditur fuiſſe Concilium, quod Hieroſolymis ab illis ipſis Chriſti Apoſtolis celebratum fuit. Id quod diligentiſsimè nobis deſcripſit beatus Lucas Euangeliſta in Actis Apoſtolicis cap. 15. Quod ſanè interpretandum nobis, inuocata ſimul dei gratia, ſumimus, ut inde iuſta celebrandorum Conciliorum ratio cognoſcatur.

Pſeudodoctores Hieroſolyma ueniſſe in eccleſiam Antiochenam, & in hac docuiſſe, fideles non poſſe ſeruari per fidem in Chriſtum, niſi & legem ſeruauerint: qua re occaſionẽ Concilio dederint. CAP II.

Comme-

COmmemorabo autem imprimis ipſa Lucæ uerba, deinde ipſa interpretabor noſtroq; inſtituto accommodabo. Verba Euangeliſtæ hæc ſunt,

Et quidam qui deſcenderant à Iudæa, docebãt fratres (dicentes) Niſi circumcidamini ſecundum morem Moſis, non poteſtis ſaluari. Cum ergo orta eſſet ſeditio & diſceptatio non exigua Paulo & Barnabæ aduerſus illos, ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas & quidam alij ex illis, ad Apoſtolos & presbyteros Hieroſolymam, ſuper hac quæſtione.

Deſcripturus Lucas Concilíũ illud in ſigne, Apoſtolicum, Hieroſolymis celebratum, qua occaſione celebratum fuerit ante omnia exponit, quod uidelicet eccleſias recte inſtitutas, praui quidã doctores depraua-rint. Sicut enim dominus in Euangelio futurum prædixerat, uenturum hominem inimicum, qui in agro dominico inter tríticum ſeminaturus ſit zizania, uel lolium, ita nunc aderant inſtinctu ſathanico pſeudodoctores peſtilentiſſimi, qui Antiochenam gentiumq; eccleſiam perturbãtes, doctrina peſtifera perdere ſatagebant. Ab his

Eccleſia Chriſti deprauatur.

uerò impetebatur & oppugnabatur ipſum primarium Chriſtianæ religionis dogma, & quaſi fundamentum, fide nimirùm non lege iuſtificari credentes. Iſti enim contendebant lege non fide iuſtificari fideles. Proinde erat certamen non de uerbis duntaxat, aut de re leuicula, ſed de cauſſa religionis noſtræ omnium maxima. Nam Phariſaica illa doctrina abolebatur dei gratia, euacuabatur Chriſti myſterium, atq; adeò mors Chriſti inanis ac fruſtranea reddebatur. Ita enim de ipſa iudicauit Apoſtolus in epiſtola ad Galatas. Prodeſt itaq; nobis uniuerſæq; poſteritati plurimũ, quod cauſa illa Apoſtolico eſt determinata Cõcilio. Sic enim nobis et uniuerſę poſteritati quid de hac cauſa orthodoxe ſentiamus declaratum eſt.

Status controuerſiæ & conturbationis eccleſiæ.

Non diſſimulat autem Lucas unde in eccleſiam Antiochenam prodierint prauihi doctores, ex ipſa utiq; ſancta Hieroſolymorum urbe. Quod ſanè mirandum non paucis uideri poſſit. At iſto nomine gloriabantur haud dubie pſeudodoctores illi, quaſi uerò familiares eſſent Apoſtolis Chriſti, & ab his miſſi: inde inquam unde prophetæ

Vnde exorti prauidoctores.

phetæ fontem uitæ erupturum, & totã terram irrigatum iri prædixerunt. Verùm locus aut tempus aut tale quippiam doctrinam corruptam nõ ornant, neq; commendant. Quocirca errant Roma aut alio loco celebri uenientes legati, existimantes ideò sibi credendum esse, quod à Romana sede aut ex loco sancto ueniant. De Hierusalem dixit Micheas, Lex è Zion egredietur, & uerbum domini de Hierusalem. Ideò tamẽ prophetę ueri nõ omnes fuerunt, qui inde ad docendum sunt egressi. De Romana uerò sede nihil tale legas. Quin Ioannes Apostolus, De uino iræ scortationis eius, inquit, biberunt omnes gentes. Et in Decretis canonicis legitur, Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera illorum. Item, Nos qui præsumus non ex locorum uel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate. Et iterum, Non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat, &c. Proinde teneamus euidenti huius loci commonefactione edocti, nisi ue-

Zach. 14.

Isaiæ 2. Mich. 4.

Apoc. 17.

Loca rebus malis non addunt ullam bonitatem.

ritatis doctrina adferatur, locum quantumuis celebrem aut sanctum, nihil per se probare.

Seducuntur fideles.

Docebant autem hi pseudoapostoli fratres. Docebant nimirum sua ipsorum authoritate, non missi à domino, & proinde erant de illorum numero, de quibus propheta dixit, Ipsi currebant, & ego non mittebam eos. Equidem paulò post ipsi Apostoli dicunt, Quibus nihil mandaueramus.

Ierem.23.

Fratres.

Fratres uocati sunt ab initio fideles uel Christiani, qui & discipuli nuncupati sunt. Ac mirum est rectè ab Apostolis institutos audiuisse huiusmodi seductores. Verùm ut simplices sunt fideles, ita facilis est ipsorum lapsus. Ita seducti leguntur Galatæ: ad quos Apostolus scribebat, Miror quòd à Christo, qui uocauit uos per gratiã, adeò cito transferamini in aliud euangelium, &c. Ideoq; monuit idem Apostolus Romanos maturè, & dixit, Obsecro uos fratres, ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula cõtra doctrinam, quam uos didicistis, gignũt, & declinetis ab illis. Nam qui eiusmodi sunt, domino Iesu Christo nõ seruiunt, sed suo uentri: & per blandiloquentiam

Galat.1.

quentiam & assentationem decipiunt corda simplicium. Nam nostra obedientia ad omnes permanauit. Rom. 16.

Nunc disertis quoque uerbis, qualis fuerit pseudoapostolorum doctrina, exponit. Summa doctrinæ illorum erat, nisi gentes circunciderentur eo modo quo præceperat Moses, seruari non posse. Diligenter uerò considerãda est illa propositio. Non negabant doctores isti Christum & fidem in Christum, sed cum Christo & fide coniungebant uel miscebant legem Mosis. Quinimò existimabant fidem in Christum non sufficere ad iustificationem uel ad salutem, nisi accederet etiam legis obseruatio, cui sanè absolutionem salutis tribuebãt, fidem in Christum absoluere hominem, & sufficere ad salutem negabant. Aliquid ergo fidei, plus uerò obseruationi legis tribuebãt. Etenim per circunciſionem ritu Mosis accipiendam intelligebant tòtam legis obseruationẽ. Mox enim ita legimus ab eodem Luca scriptum, Exorti sunt autem quidam è secta Pharisæorum, qui crediderãt dicentes, quòd oporteat circuncidere eos (qui scilicet ex gentibus crediderant) ac præci-

Qualis fuerit doctrina seductorũ.

pere ut ſeruarent legem Moſis. En docebant non modò circunciſionem, ſed & legis obſeruationem: quemadmodũ & ipſe
Galat.5. Paulus Apoſtolus ad Galatas, Conteſtor, inquit, omnem hominem qui circumciditur, quod debitor eſt totius legis ſeruandę. Voluerunt ergò pſeudodoctores iſti ſabbata, temporum inquam & locorum diſcrimina obſeruari, offerri ſacrificia, ac præſtari alia omnia lege requiſita. Et qui hæc docebant, crediderant in Chriſtum, confitentes hunc incarnatum & paſſum pro nobis.
Secta Nazareorum. Cæterum fidem hanc inefficacem eſſe dicebant ad ſalutem, niſi accederet legis obſeruatio, quę fidem abſolueret. Chriſtum itaq; abſq; lege ſeruare aut iuſtificare non poſſe contendebant, legi plus tribuentes quàm ipſi Chriſto & fidei in ipſũ. Vnde ex Chriſtianis gentilibus, conabantur facere Iudæos, aut potius Chriſtianoiudęos. Contra horum hominum doctrinam omnes propemodũ Apoſtoli Pauli epiſtolæ ſunt ſcriptæ, imprimis uerò quæ dedicata eſt Galatis, Philippenſibus, Romanis, Epheſijs & Coloſſenſibus.

Me-

Meminit horum pseudoapostolorum etiam beatus Hieronymus in Ezech. cap. 16. dicens, Tales (qui scilicet nouum pannũ ueteri assuunt uesti, & nouum uinum condunt ueteribus utribus) sunt Nazaræi, qui ueteris legis obseruantiam Euãgelicæ gratiæ aptare conantur. Idem scribens beato Augustino, Hæc, inquit, summa est quæstionis imò sententiæ tuæ, ut post Euangelium Christi, bene faciant Iudæi credentes, si legis mandata custodiant, hoc est, si sacrificia offerant, quæ obtulit Paulus, si filios circuncidant, si Sabbatum seruent, ut Paulus in Timotheo, & omnes obseruauere Iudæi. Si hoc uerum est, in Cerinthi & Hebionis hęresim dilabimur: qui credentes in Christo, propter hoc solum à patribus anathematizati sunt, quòd legis cæremonias Christi Euangelio miscuerunt, & sic noua cõfessi sunt, ut uetera non amitterẽt. Quid dicam de Hebionitis, qui Christianos se esse simulant? Vsque hodie per totas Orientis synagogas inter Iudæos hæresis est, quæ dicitur Mineorum: & à Pharisæis nũc usq; dãnatur, quos uulgò Nazaræos nuncupant, qui credũt in Christum filium dei,

Secta Nazaræorum.

natum de uirgine Maria, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & resurrexit: in quem & nos credimus. Sed dū uolunt & Iudęi esse & Christiani, nec Iudæi sunt nec Christiani. Tantùm ille.

Impugnatur & hodie doctrina, sola fide hominem iustificari.

Istorum doctrinæ non prorsus dissimilis esse uidetur ea doctrina, quæ à multis hodie passim traditur & defenditur, hominē iustificari fide quidem, sed nō sola fide, sed operibus bonis tāquam causis iustificationis unà cum fide concurrentibus: impugnant uerò hanc sententiam, fide sola aut fide in Christum, non per opera iustificari hominem. Non enim fidei tribuunt isti iustificationem, quatenus apprehendit Christum (cuius merito fit, ne nobis peccata nostra imputentur, imputetur autem Christi iustitia: atque eatenus uiua fides est & dicitur) sed quatenus operatur fides, & operibus se efficacem uiuamq; declarat: unde iustificationem operibus potius quàm fidei attribuunt. Contra quorum sententiam hæc tota tractatio, quam hic explicamus, pugnat. Refellit illā Apostolus, dum diser

Fide sola iustificari homines.

tē dicit, Gratis aut per gratiā, & in sanguine filij dei nos mundari, iustificari nos fide

sine

sine lege, & sine operibus, aut non ex lege aut ex operibus: opera bona, ut bonæ arboris fructus progigni ex iustis. Iustitiam ergo gratuitam gratis à deo propter Christum conferri nobis per fidem: opera uero bona à iustificatis demum fieri. Qua autẽ ratione his Iacobus iustificationem tribuerit, non est huius instituti explicare; cùm alibi hoc factum sit copiosius.

Quæstio autẽ illa, Fides ne in Christum purificet aut iustificet, an ad iustificationẽ hanc plenè consequendam opus sit obseruatiõe legis, qua absoluamur, qui per Christum perfici & seruari non potuimus, huic nostro Hierosolymitano Concilio occasionẽ dedit. Paulus certè in Antiochena (quę Pisidiæ nuncupatur) ecclesia uerã de Christo & iustificatione doctrinã tradẽs, eamq; in breue compendium tandem recolligẽs, Notum sit uobis, inquit, uiri fratres, quòd per Iesum Christum uobis remissio peccatorum annunciatur: & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hũc omnis qui credit, iustificatur. Quæ quidem est cõtraria prorsus assertio, ex directo opposita propositioni aduersa-

riorum, Nisi obseruaueritis legem Mosis, non poteritis per Christum seruari.

Contentionem grauem Antiochiæ exortam esse ex doctrina pseudoapostolorum. Disseritur ergo de dissentionibus in Ecclesia Christi, & qui reuera sint turbarum authores.

CAP. III.

Oritur in ecclesia dei grauissima contentio.

PORRÒ quid ex corrupta illa doctrina pseudoapostolorum consecutum sit, etiam attingit sacer historicus: Orta est, inquit, seditio & disceptatio, eaq; non modica. Dicit etiam inter quos orta sit illa disceptatio, inter doctores istos legis & Paulum atque Barnabam. Vtitur Lucas uocibus in præsenti duabus στάσεως καὶ συζητήσεως. Est autem στάσις seditio aut factio, ac ciuile bellum, qua ordo uel status, concordia, tranquillitas' ue Reipub. aut bene inter se consentientium perturbatur. Sic enim usurpatur à Luca in eodem Actuum Apostolicorum libro cap. 19. 23. 24. συζητεῖν uerò est disputare aut disceptare, uel altercari, diligenterq; indagare. Ita enim à Luca etiam usurpatur in cap. huius historiæ 6. Fuit autem seditio & disceptatio hæc non mediocris, sed magna & acris, Id quod diligenter obseruan-

Seditio.

seruandum est, in Apostolica ecclesia ortam esse contentionem grauissimam. Si autem Antiochena ecclesia, in qua hæc seditio, diuisio ac disceptatio exorta est, uera fuit ecclesia, ut reuera fuit, nemoq; inficias ire poterit, cur negatur hodie Euangelica ecclesia uera esse ecclesia, quòd in ipsa inueniantur aliquot dissensiones ac certamina? An uerò hic non audiunt in Antiochena ecclesia dissensiones fuisse & certamina? Cur hic non colligunt sicut contra nos concludunt, Deus non est deus dissensionis, sed pacis: ergo ubi pax non est, sed dissensio, ibi nullus est deus, & per consequēs nulla uera dei potest inueniri ecclesia? Quid quod propter Ioannem Marcū paulò post hæc, quæ hic describuntur, tam acris inter ipsum Paulum & Barnabam intercessit disceptatio, ut alter seiungeretur ab altero? Dissidia fuisse in ecclesia Apostolica testantur literæ Apostolicæ. Ioan 7. & aliàs sæpe in Euangelio commemoratur dissensiones in populo factas propter dominum. Clemens Alexandrinus lib. Stromat. 7. author est, Iudæos & gentes obiecisse Christianis, quòd inter se essent discordes, quo nomine

Dissidia in ecclesia dei grauissima.

inclareſcat Chriſtianiſmum non eſſe à deo, neque ueram eſſe religionem, ſed falſam. Et Celſus Chriſtiani nominis hoſtis acerrimus obijciebat Chriſtianis diſſenſiones, aſſeuerans non expedire ut augeantur numero, eo quòd, cùm pauci eſſent, concordes fuerint, aucti uerò in ſectas dilapſi ſint, tandemq; eò deueniſſe rem, ut iam ſolùm nomen haberent cõmune. Reſpondit autem huic obiectioni diligenter Origenes libro contra Celſum 3. Euſebius in uita Conſtantini lib. 3. Per ſingulas ciuitates, inquit, Epiſcopi contra Epiſcopos ad altercandum prorumpebant, ac populi in populos exurgebant, ac tantùm non concurſionibus mutuò ſeſe trucidabant. Sozomenus quoq; in hiſtoriæ ſuæ libro 1. cap. 16. Contentionem inualuiſſe, inquit, Conſtantinus imperator moleſtè tulit, quòd cùm religio Chriſtiana recens augeri cœpiſſet, multos à Chriſtianiſmo dogmatum diſſenſio auerteret. Et Socrates hiſtoriæ ſuæ lib. 4. cap. 32. Perſequebatur, inquit, fideles Valens grauiter. Themiſtius uerò philoſophus admonet imperatorem, non debere illũ moleſtè ferre differẽtiam dogmatum Chriſtianorum.

Lege quæ ſub finem huius libri ſubijciẽtur de diſſidijs eccleſiæ maximis & horribilib. à cap. 21. ad finem uſq;.

Eſſe

Esse enim modicam illorum differẽtiam, si ad multitudinem & confusionem gentilium dogmatum conferatur (esse enim illa supra sexcenta) & id respiciatur, quod necessariò pro conditione dogmatis multa etiam dissensio nascatur, & quod deus ita etiam differentibus modis glorificari uelit, &c. Manifestissimæ item sunt contentiones, quas inter se habuerunt pręstantissimi in Ecclesia uiri, Petrus Alexandrinus & Meletius, Epiphanius & Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus & Russinus, Cyrillus item & Ioannes Antiochenus, ac etiã Theodoretus; sed & episcopi quidam Romanæ ecclesiæ, & Aphricanarum ecclesiarũ de prouocatione ad sedem Romanam. Quis uerò negauit illas ecclesias propter acerrimas acerbissimasq; illas contentiones ueras fuisse & mansisse ecclesias? Id quod non ideò dico, quòd cõtentiones dissidiaq; approbem. Paulus enim, Siquidẽ factiones & cõtentiones in uobis sint, inquit, an non carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Sed quod contẽdam ecclesias, licet dissensionis morbo aliquandiu laborent, permaneant interim in fide uera, ma-

Fructus dissidiorum.

nere ecclesias. Vtitur uerò deus pro sua bonitate & potentia dissidijs & contentionibus ecclesiasticis ad gloriam nominis sui, & ut probentur multorum corda, denique ut causæ alioqui inuolutæ & obscuriores illustrentur plenius, sicuti hic factum uidemus in negotio institificationis & abrogationis legis: quod multò perspicacius modò intelligi potest, quàm si non mouissent quæstionem istam Nazaræi illi aduersarij Barnabæ & Pauli. Dicit præterea ipse Paulus, Oportet sectas esse inter uos, quò qui probati sunt, manifesti fiant.

1.Cor.11.

Quib. dissentionis culpa sit transcribenda.

Videndum porrò quibus reuera dissensionis turbarumq; culpa sit transcribenda. Sacra historia manifeste testatur Achabũ regem Israelis, hoc crimen impegisse sanctissimo prophetæ dei Heliæ, dicendo, An non tu ille es, qui perturbas Israelem? Conturbationis seditionisq; crimen intentauit populus Iuda, non uno loco, Ieremiæ prophetæ. Apud Philippenses accusant agyrtæ quidam Paulum, & dicũt, Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cum disciplinam tradant, quam recipere non licet, cum simus Romani. Tertullus quoq; orator

3.Reg.18.

Act.16.

tor accusans Paulum apud Felicem Iudæę procos. Deprehendimus, inquit, pestiferũ hunc hominem, concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe. Hodie quoq; seditiosi & turbatores nũcupantur, qui prædicant populis Euangelium. Equidem cum regnum aut Respub. aliqua in re quapiã consentit & acquiescit, uiuitq; tranquille, turbatores certè aut seditiosi uulgò appellantur quotquot hunc cõsensum conturbant, quoquo modo hoc fiat, siue concionando, siue consulendo. Cæterum diligentissime in præsenti considerandum est nobis, num consensus ille, in quo isti congruunt, iustus sit legitimusq;, an iniustus & illegitimus. Si iustus est & deo placens, negari non potest eos execrabiles esse turbatores, qui in ueritate pie consentientes disiungunt. Si uerò praua & impia est consensio, probandi & laudãdi sunt rerum malarum turbatores. Temporibus Heliæ prophetæ consenserat regnum Israelis in cultum Baalis, à deo condemnatum: non erat itaq; Helias turbator regni, qui ueram religionem reductam cupiebat, falsam ejectã. Rectè item illos appellabat turbatores re- Acto. 24.

gni, qui uero dei cultu præterito, falsum id est Baaliticum receperant. Verissime itaq; Helias dicebat, Ego non turbo Israelem, sed tu & domus patris tui, cum deseruerítis præcepta domini, & incedatis post Baalim. Ita Ieremias excusatur, & non tenetur crimine seditionis. Nã prædicauit uerbum domini cõtra traditiones humanas, & contra idololatriam. Sic Paulus rectè fecit, qui in malo consentientes disiunxit: quod quidem fecit, quando Euangelium prædicauit: quod qui receperunt, à mundo, à malo, denicq; ab ijs se separauerunt, qui respuerũt Christi Euangelium. Rursus pie consentiebat in Euangelio Christi, quod prædicabat Apostolus Paulus, Antiochena ecclesia: ergo nequissimi turbatores & uere seditiosi erant pseudoapostoli, consensum hunc sanctum deoq; placentem dissipantes. Et Apostoli Christi mox in epistola synodica turbatores eos manifeste appellãt. Ergo quotquot ecclesiam rectè sentientem turbant, allata doctrina noua aut aliena à uerbo dei, reuera turbatores sunt pernicio sissimi. Seditiosi proinde non sumus, qui hodie non turbamus ecclesiam Apostoli-

cam

eam, sed turbatam humanis constitutionibus & purgare, & tranquillam reddere cupimus, reducta doctrina disciplinaq; ueteri, explosis uerò nugis Romanis.

De profectione Pauli & Barnabæ ad Apostolos domini Hierosolymam, & cur illam susceperint. Et quod in omnibus controuersis causis oporteat adire Christi domini Apostolos. CAP. IIII.

SEquitur modò quod maxime est instituti nostri & obseruatu in hac tractatione dignissimũ, quomodo turbis uigentibus ítum sit obuiam, & quomodo pax restituta ecclesijs perturbatis. Id explicat breuibus Lucas, & dicit, Statuerunt ut ascenderent Barnabas & Paulus, & quidam alĩ ex illis, ad Apostolos & presbyteros Hierosolymam, super hac quæstione. Ac summa quidem istorum omnium illa est, quæstionem controuersam delatam esse Apostolicæ cognitioni: sed interim explicanda hic uenſunt & alia, ut quæ sit Conciliorum authoritas, aut quantum eis tribuendum sit: Quinam ita statuerint ut ascenderent Barnabas & Paulus, &c. uel quorũ sit indicere Concilia: Quales deniq; mittendi

ad Concilia? & quidnam tractandum sit in Concilijs?

Cur Paulus & Barnabas profecti sint Hierosolymã ad Apostolos?

Profectionem illam Pauli & Barnabæ ad Apostolos nemo ita accipiat, quasi dubitauerint ipsi de doctrina sua, quam gentibus hactenus per multos annos tradiderant, aut quod ipsam crediderint incertam aut dubiam, minimeq; orthodoxam esse, nisi prius confirmata fuisset ab alijs Apostolis Hierosolymis habitantibus. Repugnaret hęc sententia expositioni perspicuę Pauli, quæ texitur ab ipso in epistola ad Galat. cap. 2. Ascenderunt itaque hi duo missi ab ecclesia Antiochena ad Apostolos Hierosolymis habitantes, hãc maxime ob causam, quod aduersarij Pauli & Barnabę affirmarent se missos esse Hierosolymis ab Apostolis ibi habitantibus, & quod ex ipsorum traditione eam accepissent doctrinã, quam contra Pauli & Barnabæ prædicationem Antiochenæ tradebant ecclesiæ. Et quanquam non Paulus duntaxat, sed syncerissimi quiq; in ecclesia Antiochena uiri, non ignorarent Apostolorum doctrinam Hierosolymis traditã, non discrepare à prædicatione Paulina, inter gẽtes annun

ciata

ciata, atq; ideò mentiri pseudoapostolos, maluerunt tamen hoc ipsum ab ipsis Apostolis Hierosolymis habitãtibus palàm declarari, & omnibus testatum fieri: hac ipsa de causa libenter ascenderũt Paulus & Barnabas, ut cũ in controuersiam uenisset prædicatio Euangelica, illi quibus causa illa adhuc dubia uidebatur, certificarentur confirmarenturq; Apostolica determinatione, nec putarent Paulum operam perdidisse & impensam, atq; ita impediretur hac opinione praua cursus Euangelij. Ipse enim Paulus ad Galatas, Ascendi, inquit, iuxta reuelationem (unde intelligimus spiritum sanctum & Paulo ipsi, & ecclesiæ Antiochenæ reuelasse hoc consilium de adeũdis Apostolis cæteris) & cõtuli cum illis Euangelium, quod prædico inter gentes: sed priuatim cum his, qui erant in pretio, ne quo modo in uanũ currerem aut cucurrissem. Et mox. Ac qui uidebantur esse in precio, mihi nihil contulerunt. Imò contra cum uidissent mihi concreditum fuisse Euangelium præputij, quemadmodum Petro circumcisionis (nam qui efficax fuit in Petro ad Apostolatũ circumcisionis, efficax fuit

& in me erga gentes) cumq; cognouissent gratiam mihi datam Iacobus, & Cephas & Ioannes, qui uidebantur esse colũnæ, dextras societatis dederunt mihi & Barnabæ, ut nos in Gentes, ipsi uerò in circuncisionẽ apostolatu fungeremur, Et reliqua quæ sequuntur cap. 2.

In omnib. controuersijs adeundos esse Christi Apostolos.

Deinde hac quoque de causa delata est huius causæ uel controuersiæ discussio ab ecclesia Antiochena ad Apostolos domini Hierosolymam, ut omnes ecclesiæ, quæ futuræ erãt per uniuersum terrarum orbem, per omnia secula discerent, & quasi sempiterna regula traditum tenerent, in quibuslibet controuersis aut dubijs causis semper recurrẽdum esse ad Apostolos domini nostri Iesu Christi.

Quomodo adire queamus Apostolos domini.

Rogas, quomodo in terris possimus recurrere ad Apostolos iam triumphantes in cœlis? Reliquerunt Apostoli absolutissimam de uniuersa religione doctrinam, scripturis Noui Testamenti comprehẽsam, & libris Veteris quoq; Testamenti cõfirmatam, uetustissimisq; patribus suo modo, & ut tunc fieri potuit, expositã. Proinde cùm in terris ad ipsorum Apostolorum personas

nas proprias peruenire non possimus, recurrendum est ad scripturas Apostolicas & prophe-ticas, per quas nobis nũc loquitur deus, sicut per ipsorum personas locutus est olim cum patribus nostris. Ex scripturis illis discendum & probandum est nobis omnibus, quid Apostolicũ sit, quid ue Apostolicum non sit, Quæ enim congruunt cum scripturis Apostolorũ & prophetarum Apostolica Christiana, orthodoxa & certissima sunt, quæ uerò dissentiunt ab illis, Apostolica non sunt, neq; Christiana aut orthodoxa, neque certa aut infallibilia sunt.

Apostolicis scriptis plenam comprehendi de uera religione & fide doctrinam.

CAP. V.

QVando uerò non pauci hodie negant scripturis Apostolicis absolutam comprehendi de uera religione et fide doctrinam, obiter commonstrabo euidentibus testimonijs, omnia ueræ fidei & salutis plene nobis tradita esse scripturis Apostolicis & propheticis, ut nihil necesse sit defectum eorum sarcire, nõ scriptis tradi-

tionibus, et patrum constitutionibus. Nam S. Lucas præfationem suæ historiæ Euangelicæ contexens, Visum est mihi, inquit, persequendo ab initio omnia deinceps tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas earum, de quibus edoctus es, rerum certitudinem. Et in initio libri Actorum Apostolicorum, Superiore quidem uolumine, inquit, diximus ô Theophile, de omnibus, quæ cœpit Iesus tum facere tum docere, ad eum usq; diem quo sursum assumptus est. Neq; pugnant cum his quæ sub finem Euangelij sui beatus Ioannes scripta reliquit, & dixit. Sunt autem & alia multa quę fecit Iesus, quæ si scribãtur per singula, nec ipse, opinor, mundus, caperet eos, qui scriberentur libros. Sicut enim Lucas non dicit se scripsisse singula, sed omnia, nimirũ quæ ignorari non possunt citra salutis ueræq; fidei aut religionis dispendium: ita Ioannes non negat omnia scripta esse, quæ nimirum ad salutem parandam & ueram fidem plene informandã sufficiunt. Etenim in fine cap. 20. Multa quidem & alia, inquit, signa fecit Iesus, in conspectu discipulorum suorũ, quæ non sunt scripta in libro hoc.

Nõ omnia quidem esse scripta, sed omnia tamen quæ pertinẽt ad salutem.

hoc. Hęc autem ſcripta ſunt, quod Ieſus eſt Chriſtus filius dei, & ut credētes uitam habeatis per nomen eius. En ſufficere affirmat ea quæ ſcripta ſunt ad informandā ueram fidem, deinde ad cōſequendam uitam æternam: ergo comprehendit omnia ſaluti neceſſaria Ioannes ſcripto illo ſuo: qui & in epiſtola ſua prima cap. 2. teſtatur genus doctrinæ traditū eccleſiæ ab Apoſtolis eſſe abſolutum. Et Irenæus lib. contra hæreſes 3. cap. 8. Poſt obitū, inquit, Petri & Pauli, ipſorum diſcipulus Marcus, & interpres Petri, etiam ipſe nobis ea quę à Petro ſunt prædicata, in ſcriptis reliquit. Papias item Apoſtolorum & ipſius Ioānis Euangeliſtę diſcipulus, apud Euſeb. in Eccl. hiſt. lib. 3. cap. ult. Marcus quidem, inquit, cum Petri eſſet interpres, quęcunq; memoria retinuit accuratè conſcripſit. Et iterum idem, De hoc, ait, uno cogitauit, ne quid eorum quæ audierat omitteret, aut qua in re quod falſum eſt, traderet. Sed quid humana proferimus teſtimonia, cum diuina nos non deſtituant? Ipſe enim Petrus Apoſtolus in fine cap. primi, affirmat ſe eo capite comprehendiſſe ſummam prædicationis Euangelicæ,

En accuratè cōſcripſit

En nihil omiſit.

uiuo expositã uerbo. Dicit enim, Hoc actũ est uerbũ, quod per Euangelij prædicationem delatum est ad uos. Sed & Apostolus Paulus cum Mileti ualedixeret ministris Ephesinæ ecclesiæ, manifestè dixit, Non subterfugi, quò minus annunciarim omne consilium dei uobis. Quod enim quidam hoc Pauli testimonium in dubium uertere conantes, per sophisticam, dicũt, Fatemur omnia quidem annũciasse Apostolos, sed non omnia scripsisse, (sunt enim scripta, inquiunt, Apostolica, sunt etiam traditiones Apostolicæ uiua uoce, non scriptis, ecclesiæ fideliter commendatæ) suffugium eorum est, qui uicti nihil quod respondeant habent. Licet enim dixerit Apostolus, Annunciarim, & non scripserim, quid obsecro dicunt ad ea testimonia, quæ superius protulimus ex Euãgelio? Quid ad illa dicunt, quæ modò proferemus? In epistola ad Romanos commemorat Apostolus se diu cupiuisse Euãgelium annunciare Romanis: sed impeditum nunquam uenire potuisse, at ut haberet etiam fructum inter ipsos, paratum esse & Romanis euangelizare, scripta nimirum epistola. Idem ad Ephesios cap.

Act. 20.

An Apostoli omnia quidem tradiderint, nõ autẽ omnia scripserint?

cap.3. Scripsi paucis, inquit, ex quibus po-
testis legentes intelligere, cognitionem
meam in mysterio Christi. En testatur Pau
lus apertissimè intellectum se suum Euan-
gelij Christi duobus primis in epistola ad
Ephes. capitibus exposuisse. Idem iterum
ad Timotheum, Hæc scribo, inquit, sperãs 1. Tim. 3.
fore, ut citò ad te ueniam. Quod si tardius
uenero, ut noris quomodo oporteat te uer
sari in domo dei, quæ est ecclesia. Testatur
ergo Apostolus se in hac epistola ad Timo
theum mãdata & institutionem episcopis
dedisse, ut inde intellígant quomodo uer-
sari debeãt in ecclesia. At quis dicat huius-
modi esse r anca & inabsoluta? Quid uerò
euidentius & clarius est, quàm quod in po
steriore ad Timotheum idem Apostolus
disertè ait, Tu persistito in his quę didicisti, 2. Tim. 3.
& quæ tibi credita sunt: sciens à quo didi-
ceris, & quod à puero sacras literas noue-
ris, quæ te possunt eruditum reddere ad sa
lutem, per fidem, in Christo Iesu. Omnis
enim scriptura diuinitus inspirata, utilis
est ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad cor-
rectionem, ad institutionẽ, quæ est in iusti-
tia, ut integer sit dei homo, ad omne opus

bonum apparatus, siue ut Ambrosius legit perfectus. Loquitur manifestè Apostolus de scripturis, et quidem sacris. Dicit apertè quod hæ possunt eruditum reddere ad salutem per fidem in Christium: & quod instituere possint seruum dei, ut integer & perfectus sit, idoneus ad omne opus bonum. Comprehendit ergo scriptura plenè omnẽ de uera pietate & salute hominis doctrinã. Et Græcus interpres exponens hunc Apostoli locum, putat Paulum ideò scripturarum sanctarum meminisse, quod mox dicturus fuerit se interficiendum: perinde ac si dicere uoluisset, Habes ergo mei uicarias scripturas sacras, quæ te leuare tibiq; prodesse poterũt, à quibus petas, quæ à me uiuo petisti. Hæc ille. Cumq; hæc ad Timotheum dicat Apostolus de scriptura ueteris Testamenti, & ad eam accesserint præterea libri noui Testamenti, quis porrò futurus est tam impudens & blasphemus, ut dicat scripturam sanctam canonicam docere quidem pietatis & salutis doctrinam, sed non plenè nõ absolutè? Meliores & syn ceriores his impuris hominibus fuerunt Iudæi, qui etsi fuerint pluribus implicati erro

ribus,

ribus, nunquam tamen eò ueſaniæ peruenerunt, ut dicerẽt ſcripturam ſanctam non plenè tradere ſalutis doctrinam. Ipſe enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Euange lio ait, Scrutamini ſcripturas: quia uos uidemini uobis in ipſis uitam æternam habere. Fuit ergo receptum & confeſſum tunc apud Iudæos, ſcripturam omnia plenè tradere, quæ uidebantur facere ad uitam æternam conſequendam. Rectiſſimè ergo beatus Athanaſius in principio libri ſui contra Gentes, Sufficiunt, inquit, ſanctæ & diuinitùs inſpiratæ ſcripturę, ad omnem inſtructionem ueritatis. Idem mox beatorum patrũ ſcriptis hoc præcipuè tribuit, quod ſcripturam interpretentur & inducant ad ueritatis notionem. Ioan. 5.

Proinde dicimus iam, & pleno ore profitemur, in omnibus controuerſijs ſemper ac in Concilijs maximè recurrendum eſſe ad Chriſti Apoſtolos, id eſt ad ſcripturam Apoſtolicam & propheticam, indéque petendum quod faciendum ſit, quid omittendum, quid uerum, quid falſum, quid Apoſtolicum aut ſyncerum, quid'ue non ſit Apoſtolicum & nõ ſyncerum. Vnde & hoc

colligimus Paulum & Barnabã missos esse Hierosolymam, non ipsius loci gratia aut prærogatiua: sed quòd ibi essent Apostoli. Ergo propter Apostolos, non propter Hierosolymam missi sunt Hierosolymam. Absq; Apostolis Hierosolyma nullam authoritatem habet. Quoniam ipse dominus templum auersum à suo usu legitimo, nuncupauit non templum dei electum, sed domum mercatus & speluncã latronum. Desinant ergo aduersarij ob Romanæ urbis prærogatiuam, quã ipsi iactitant, quasi omnium ecclesiarum magistra sit, fideles in causa fidei discutienda Romam euocare, & loco isti nescio quid tribuere. Si Romæ Apostoli non sunt, aut doctrina Apostolica ibi non inuenitur, nominat ipsam Ioannes Apostolus Babylonem, confusionem & habitationem dęmoniorũ, & custodiam omnis spiritus immũdi, & omnis uolucris immundæ & inuisæ. Cùm in lege sua uetere deus iuberet quæstiones dubias referre ad iudicem populi primum, & ad Sacerdotes Leuitici generis, horum arbitrio nihil permisit, sed parere, iussit sententiæ ipsorum secundum Legem prolatæ. Proinde nullam

Absq; Apostolis nullius loci nullam authoritatẽ habet.

Apoc.18.

Deut.17.

nullam authoritatem aut prerogatiuam habet ullus locus, aut ullum cõcilium ſine authoritate Apoſtolica. Authoritas hæc conſiſtit in ſyncerítate doctrínæ.

Cernimus item quomodo obuíam eundum ſit turbis procedentibus, & quomodo pax reſtitui poſſit eccleſijs perturbatis, ſi aſcendatur ad Apoſtolos Domini. Ita quondam reſtituerũt pacem perturbatam, ac religionem ſuæ integritati, rurſus & repurgarunt eam ab omnibus corruptelis beati reges Ioſaphat, Ezechias & Ioſias. Nã reuocarunt legem uel uerbum domini, & ex hoc inſtituerunt uniuerſa. Inde reuera eſt pax atque ſalus. Quomodo pax reſtituenda eccleſijs.

Quæ ſit authoritas Conciliorum, & quantum eis tribuendum ac credendum ſit. Et quòd Concilia non pauca nec rarò errarunt.

CAP. VI.

HIs omnibus legitimè expenſis, facile eſt explícare, quæ ſit Conciliorum authoritas, aut quantum eis tribuendum ſit. Tantum enim illis eſt credendum, quãtum ſua nobis propoſita per ſcripturas Apoſtolicas & propheticas probant atque demonſtrant; citra ſcripturarum authoritatem nul Sine ſcripturarum authoritate nulla eſt authoritas Cõciliorum.

la eſt Conciliorum authoritas. Neque eſt quòd quiſquam huiuſmodi Conciliorum fulmina uel anathematiſmos uereatur. Abolet enim ac diſſipat omnes tales anathematiſmos anathematiſmus Apoſtolicus, qui meritò præit omnes alios, atque in hæc uerba pronunciatus eſt ab Apoſtolo Paulo, Si nos aut angelus è cœlo prædicauerit uobis euangelium præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Quemadmodum modò diximus, ita nunc iterum dico, Si quis uobis prædicauerit euangeliũ præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Anadiplosis uerò illa non tam ſpirat uehemẽtiam quàm cauſam noſtram uehementer iuuat, admonens ne tantilli faciamus, ſi feriamur anathematiſmis cõtrarijs. Congruit autem cum hoc apoſtolico anathematiſmo, omnium legis antiquiſſima execratio, quæ ita ſonat, Maledictus, qui non permanſerit in omnibus (hoc addit Apoſtolus) ſermonibus legis huius. Et cætera. Benedicti ergo ſunt à domino, quotquot inhærent firmiter uerbo dei, & ab ipſo ne latũ quidem pilum diuelluntur. Tametſi coeat totus hic mundus, minimè poteſt tamen creatura quicquam

Galat. 1

Deut. 27.

quam contra uerbū creatoris ſtatuere, neq; decreta dei æterni abrogare. Neque ualet hic eruditio, aut multitudo, aut ſanctitas, aut ulla denique authoritas. Nam loquente domino deo uniuerſorum, meritò conticeſcit omnis caro. Samuel certè dicebat, Loquere domine: quoniam audit ſeruus tuus. Paulus ſanctè affirmat ſe non audere quicquam loqui in eccleſia, quod non in ipſo efficiat dominus. Et Panormitanus percelebris iuriſcoſ. rectè ſentit, Laico dicenti uerum, iuxta ſanctas ſcripturas plus eſſe credendum, quàm uniuerſali Cōcilio proferenti mendacium contra ſcripturas. 1. Sam. 3. Rom. 15.

Laicus

Quantum tribuerit Concilijs S. Auguſtinus.

Sed cur producimus Panormitanum? Prodeat potius diuus Aurel. Auguſtinus ſanctus eccleſiæ epiſcopus, ſcriptor uetuſtus, & catholicus eccleſiæ doctor, & ſua nos inſtruat ſententia, quantum Concilijs tribuamus. Is ergo libro de Baptiſmo contra Donatiſtas 2. capite 3. ſcripturis ſanctis omnes omnium hominū definitiones, ſed & Conciliorum decreta, eorum quoq; quę uocat plenaria ſubijcit. Dicit enim eorum decreta poſterioribus emēdari poſſe, ſiquidem aut experientia, aut alio modo reuela-

tũ poſtea fuerit, quod prius erat clauſum. Vult tamen abeſſe omnẽ ſuperbã arrogantiam, et contentionem liuidam. Idem lib. 3. contra Maximinum Arianum diſputans, Sed nũc nec ego, inquit, Nicenum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præiudicaturus proferre Concilium: nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris: ſcripturarum authoritatibus non quorũq; propriis, ſed utriſq; communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, & ratio cũ ratione concertet. Non diſſimilis locus extat in eodem authore de Vnitate eccleſiæ contra Donatiſtas cap. 16. quem recitarem, niſi exiſtimarẽ locos adductos Auguſtini piis & æquis lectoribus per omnia in hac cauſa ſatisfacere omnibus.

Debent decreta Conciliorũ examinari.

Hæc uerò cum ita habeant, licet certè ea quæ uel per Cõcilia uel ex authoritate Conciliorum proferũtur, fidelibusq; obſeruanda traduntur, ad regulam uerbi dei explorare aut examinare. Si enim Berrhœenſes nihil peccarunt, conferẽtes cum ſcripturis ea quę adferebantur à concionante Paulo, cur non liceret Conciliorum decreta quoq; conferre cum ſcripturis, eaq; obſeruanda

Act. 17.

reci-

recipere, quæ ex ſcripturis petita ſunt, repudiare uerò, quæ cum ſcripturarum ueritate pugnant. Ac negari non poteſt ab ijs qui hiſtorias & ueterum ſcripta nonnihil euoluerunt, præſtantiſſimas & plures ſynodos manifeſtè & turpiter in ſuis definitionibus aberrauiſſe à ueritate ſcripturarum. Errarunt Concilia.

Proinde non eſt quod exiſtimemus authoritatem Conciliorum eſſe irrefragabilem. An non eximia illa ſynodus Nicena, contra manifeſtam Euangelij ſententiam, Lucæ 3. à Ioanne Baptiſta pronunciatam, de officio militum, credentes in Chriſtum, redeuntes uerò ad militiam, non rectè condemnauit? Carthagineñ. ſynodus ante Nicenam ſub beato martyre Cypriano celebrata, iuſſit retingere hæreticos. Ariminenſis ſynodus ſicuti & complura alia Cõcilia quorum poſtea faciemus mentionem, fecerunt cum impio Ario, hoſte Chriſti iurato. Chalcedonenſe Concilíũ uoluit Romano Pontifici deferre titulum, quem ut non ferendum & quaſi impium & ueſanũ grauiter oppugnauerunt Leo, Pelagius & Gregorius Pontifices, indigniſſimum putantes ſi quis ſe patiatur appellari Vniuer-

ſalem Epiſcopum. Epheſinum Concilium ſecundũ, in quo permulti fuerunt uiri prę-ſtantiſsimi, cõſenſit Eutycheti. Gregorius II. eius nominis & III. in Concilijs & ido-lolatriam approbarunt propagaruntq; & Leonem Imperatorem indigne condem-narunt. Gregorius VII. multa celebrauit Concilia: ſed in illis multa impia conſtituit: unde uiciſsim condemnatus eſt ab aliquot epiſcoporum contrarijs Concilijs. Stepha-nus III. Formoſi Papæ acta reſcidit, idq; per Concilium: quę iterũ Ioãnes X. coacta Rauennæ ſynodo, damnauit. Non poſſunt autem ſimul uera eſſe quæ ſunt contradi-ctoria. Hiſtorię plura huius generis exem-pla ſuppeditant, demonſtrantes ſpiritum ſanctum Concilijs minime alligatum eſſe, & illa ad ſcripturas adhiberi oportere, ſi-quidem eis fides adhibenda ſit.

Hominum authoritas Concilijs non addit authorita-tem.

Iccirco cum Decreta conciliorum pu-gnant cum uerbo domini, fruſtra prædica-tur eruditio, multitudo, ſapientia & ſancti tas illorum qui interfuerunt Concilio. Iſta enim omnia ſemel refutauit Ieremias cum dixit, quomodo dicitis, Sapientes ſumus, & lex domini apud nos eſt? Attamen ecce mendacium

mẽdacium operatus est stilus, falsò uel frustrà (scripserunt) scribæ. Pudefacti sunt sapientes, perterriti & capti sunt. Ecce uerbum domini reprobauerũt: quæ ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Verbum ergo domini prælucere debet in omnibus omnium temporum Cõcilijs, quibus ideò credendum est, quod ipsa tradiderunt, & secuta sunt uerbum dei, quod unicum est fidei fundamentum & regula. Rom. 10. 1. Cor. 2.

Quinam miserint Apostolũ Hierosolymam ad Apostolos. Et quorum sit indicere synodos. Synodos item cõgregatas sine Romano. Pont. ueras esse synodos. Et sanctos Ecclesiarum pastores uocatos in illegitimas synodos, non comparere. CAP. VII.

EXplicãdum erit porrò nobis, quinam ita statuerint, ut ascenderent Barnabas & Paulus Hierosolymam: unde intelligamus mox in quorum potestate sit Concilia indicere. Certũ est autem, etiam ipso Paulo teste, spiritum sanctum decreuisse ante omnia, ut Paulus & Barnabas ascenderent Hierosolymam ad Apostolos, deinde hoc ipsum reuelasse ecclesiæ Antiochenæ, quæ hoc mãdarit Paulo, & Paulũ libẽter acce- In potestate ecclesiæ est indicere synodos.

piſſe conditionem, aſcendiſſeq; Hieroſoly
mam: ſed & Apoſtolos Hieroſolymis li
benter audiuiſſe, & excuſſiſſe cauſam ad ip
ſos delatam. Proinde dicimus in poteſtate
eccleſiæ eſſe ſynodos indicere, in quibus a
gatur de negotijs eccleſiaſticis. Eccleſiam
puta ueram eccleſiam habẽtem ueræ ſigna
Act. 1. & 6. uel notas eccleſiæ. Eccleſia certè Apoſtoli
ca coegit ſynodum uel cœtum eccleſiaſti
cũ, in quo Matthias additus eſt ordini A
poſtolico. Eadem coegit ſynodum, in qua
delecti ſunt ſeptem eccleſiæ Diaconi. Eum
morem retinuit uetus, proxima Apoſtoli
co ſeculo eccleſia, quę per epiſcopos uel mi
niſtros ſuos crebra collegit Cõcilia, in qui
bus res eccleſiaſticas tractauit. Neceſſitate
enim aliqua poſtulãte admoniti uicini e
piſcopi, ſponte conuenerũt, & neceſſarias
& ſalutares eccleſiæ res tractauerunt. E
xempla horum non pauca inueniunt, qui
& hiſtorias, & libros ueterum euoluũt ſcri
ptorum eccleſiaſticorum. Atque illæ pro
uinciales fuerunt ſynodi, & minores uel
particulares. Nullus enim adhuc Impera
torum nomen ſuum Chriſto dederat, qui
œcumenicam congregaret. Primũs in or
be

be Christiano Constãtinus Imperator, non tam ut imperator, & authoritate imperij, sed ut princeps potius Christianus ex potestate ecclesiæ, Niceæ in Bythinia œcumenicum conuocauit Concilium. De qua re Eusebius scribens in uita Constantini lib. 1. Constantinus, inquit, curam suam ecclesiæ dei impendit. Et quoniam nonnulli uarijs in locis inter se disceptabant, quasi communis quidam episcopus à deo cõstitutus, ministrorum dei synodos conuocauit, nec dedignatus est adesse, & considere in medio illorum, cõsorsq; fieri ipsorum, & quæ ad pacem dei faciebant, uniuersis dispensare. Constantini Imperatoris exemplum postea imitati leguntur succedentes in imperio, & in pietate Imperatores, qui & ipsi cõuocarunt œcumenicas synodos, ut Theodosius ille Magnus Constãtinopolitanam, Theodosius Iunior Ephesinã, Martianus Chalcedonẽsem. Certè successione temporum factum est, ut tãdem iure quodam Imperatores uendicarent tenerentq; sibi ius conuocandarum synodorum. Vnde fortassis Hieronymus obijcienti sibi synodum Ruffin, dicta respondisse legitur: Doce tu

Imperatores conuocant synodos.

quis Imperator iusserit eam congregari. Non temere sanè existimauerũt sancti Imperatores, postquam amplexi fuerant syncerè Euangeliũ, sui etiam esse muneris conuocare Synodos, & in his abolere blasphemias, errores extirpare ac stabilire ueritatem, contentiones item & turbas pacare. Hæc enim omnia sub sancti magistratus officium pertinere scriptura liquidè testatur.

Dictat Imperator episcopis leges celebrandarum synodorum.

Iustinianus Imperator in Nouellis Cõstit. 123. mandat districtè in singulis prouincijs coire prouinciales synodos. Et subijcit mox, Iubemus autem & prouinciarũ præsides, si quid eorũ quæ à nobis sancita sunt, negligẽter haberi uiderint, ut primùm quidem metropolitanos & alios Episcopos urgeant, ad celebrandas prædictas synodos, & ut omnia impleant quę per synodos præsente lege præcipimus. Quod si eos moram nectere & segnius peragere uiderint, tunc per suggestionẽ nos ea de re certiores reddant, quò magis contra eos qui Synodos celebrare differunt, cõueniens à nobis procedat correctio, &c.

Proinde si qui postea Reges potestatẽ conuocandarum Synodorum permiserũt Epi-

Episcopis, aut ex indulgentia quadã singulari, aut negligentia, aut insciti a, aut alijs de causis aut impedimentis factum esse uidetur. Ita enim loquitur Friderychus primus Barbarossa cognominatus, apud Radeuicum historiarum lib. 4. cap. 68. ad Episcop. Quamuis nouerim officio & dignitate imperij penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, præsertim in tantis ecclesiæ periculis (hoc enim & Constantinus & Theodosius, nec non Iustinianus, seu recentioris memoriæ Carolus magnus & Otho imperatores fecisse memorantur) authoritatem tamen definiendi huius maximi & summi negotij uestræ prudentiæ uestræq; potestati committo. Et reliqua. Ergo quod Romani Pontifices in fine & senecta mundi, omnem Conciliorum nõ modò indicendorum potestatem, sed & uniuersam præsidendi gubernandiq; ea facultatem sibi usurparunt, iniuste sibi, sicut & alia multa, rapuerunt. Id quod aperte testatur etiam Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis in Concilio Episcoporum Reginoburgensi, apud Ioannem Auentinum libro Annalium Boiorum 7. Extat in De-

Rom. Pontifices sibi usurparũt omnem in synod potẽstatem.

cretis Dist. 17. in qua Iulius Papa, Nec ullum, inquit, ratum est aut erit unquã Concilium, quod Romanæ ecclesiæ non fuerit fulcitum authoritate. Si uerò legitimum Concilíũ non est, quod non conuocat Romanus pontifex, illegitima ne dicemus esse Concilia, quæ celebrata sunt in ecclesia Christi, priusquam ullus esset Romanus pontifex, eo loco honoreq; aut authoritate habitus, quo nunc habetur? Coeunt apostoli & fideles Hierosol. Antiochena ecclesia sic postulãte. Nulla fit uel Rom. Ecclesiæ, uel Episcopi Romani mentio. Quod enim Petri fit mentio, nihil facit ad Romanos. Temporibus Cypriani complures synodi sunt in Aphrica celebratæ, citra Romani Pontificis consensum aut conscientiam. Ita factum est in Oriente, in Asia, in Græcia, ac in alijs nationibus Alexandriæ conuenerunt Episcopi uel ministri ecclesiarum Aegypti & Libyæ, damnaruntq; Arium, non Romanæ ecclesiæ, sed scripturarum authoritate: damnationẽ postea miserunt ad Romanum Pontificem, qui non interfuerat Concilio, & miserunt quidem illam, non ut confirmaret condẽnationem satis

satis alioqui confirmatam scripturarum authoritate, sed ne nescíret à quibus esset cauendum fidelibus, & contra quos uigilandum. Temporibus Augustini in Aphrica Carthagini celebrata sunt Cõcilia, non modò sine mandato Romani Pontificis, sed etiam contra tyrannidem Romani episcopi, falsa allegatione Nicenę synodi plus sibi & suæ sedi uolentis tribuere, quam ueritas permittebat. Cõstat autem omnes illas Synodos legitimas fuisse Synodos, & tamẽ à Rom. Pontifice non esse congregatas.

His omnibus accedit quod extra controuersiam & modò etiam dictum est, sex œcumenicas synodos, quorum eximia est authoritas, non à Pontificibus sed Imperatoribus esse congregatas: & quod in præstantissimis tribus Synodis non præfuerũt Rom. Pont. sed aliarum ecclesiarum præsides. In Nicena enim præsedit Eusthatius Antiochenæ ecclesiæ Episcopus: in Constantinopolitana Gregorius Constantinopolitanus Episcopus: in Ephesina Cyrillus Alexandrinus Episcopus. In Chalcedonensi uerò Synodo præsederũt Paschasianus Lucẽtius & Bonifacius m[illegible] à Leone.

Rom. Pont. Sed Euagrius lib. hist. 2. cap. 2, author est, legatos Rom. Pont. unà cum Eusebio Dorylæo postulasse ab Imperatore Martiano, ut causa ipsorum cõtra Dioscorum & Ephesinam synodum secundã legitime dijudicaretur. Theodorus lector Græcus Collectan. lib. 1. mox ab initio asserit Martianum Imp. & Pulcheriam Leoni scripsisse, authoritatemq; tribuisse: & eundem Imperat. Synodum quæ postea Chalcedoni conuenit primò conuocasse Niceã, ideoq; Leonem Pontificem Patribus Niceæ congregatis præclaram scripsisse epistolam, quæ extet adhuc Actis inserta synodi. Cæterum Niceæ pluribus congregatis Episcopis, Martianum moram in Thracia trahentem, transtulisse Synodum à Nicæa Chalcedonem, ut ipsi ad exemplum diui Cõstantini coràm adesse posset. Et ante ista omnia contendit Leo Episcopus Roman. à Martiano Imperatore per epistolas, ut in Italia conuocaretur Synodus: uerùm hoc ab Imperatore impetrare non potuit. At si ea fuit ab initio Rom. Pont. potestas, quam isti iactitant, nihil necessarium fuisset hæc à Martiano & petere & accipere.

Con-

Consequitur itaq; & Iuliũ Papam in Decretis affirmare, quod ueritati non est consentaneum. Non dicam in præsentiarũ eos qui se manifestis polluunt sceleribus, & doctrinæ fidei synceræ se obijciunt aduersarios aut persequutores, ne inter mẽbra quidẽ infima ecclesiæ numerari, tantùm abest, ut nomine ecclesię potestatem sibi tantam, Concilia uidelicet conuocandi gubernandiq;, legitime unquam uendicare possint. Nam manet semper ea administratio in ecclesię Christi ueræ potestate arbitrioq;. De qua re hæc hactenus obiter dixi, alij copiosiora exactioraq; dederunt.

Sancti ad Cõcilia uocati illegitima non ẽpassant.

Ac monendum hic quoq; & illud esse uidetur, si Concilium uel particulare, uel uniuersale indicatur, à quacunq; tandem potestate, uel seculari, ut aiunt, uel spirituali indicatur, & certis indicijs aut argumentis deprehendatur aut cõstet illud animo contra ueritatem hostili, & Euangelij synceritatem aut obfuscandi aut opprimendi gratia instituí, pios ecclesiarum pastores & fidei Christianæ professores adeò non debere cum huiusmodi Concilio communicare, ut ne uocati quidem uenire dignen

tur. Id quod citra ſcripturarum authorita-
Pſal.1. tem non dico. Clamat enim Dauid, Beatus uir qui non ambulauit in concilio impiorum, & in uia peccatorum non ſtetit, & in cathedra irriſorum nō ſedit: ſed in lege dei uoluntas eius, & in lege eius meditatur die
Pſal.26. & nocte. Item, Non ſedi cum concilio uanitatis (uel, cum uiris mendacibus) & cum iniqua agentibus non introibo. Odiui eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo. Dicit etiam in Euāgelio dominus,
Math.7. Cauete uobis à pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtitu ouium, intrinſecus
Math.10. uerò ſunt lupi rapaces. Item, Cauete uobis ab illis hominibus. Tradent enim uos in Concilia, & ibi cædent uos flagris, Et reliqua Matth. 10. Sed & Paulus Apoſtolus nullo modo potuit perſuaderi, ut conſenti ret in iudicium Concilij Hieroſolymitani, neq; Hieroſolymam redire uoluit, utcunq;
AA.23.25. multa ipſi polliceretur Portius Feſtus Iudææ præſes: quòd ſatis intellexiſſet Iudæos ipſi & Euangelio ſtruxiſſe inſidias. Beati quoq; eccleſiarū paſtores Athanaſius Alexandrinus, Maximus Hieroſolymitanus, Hilarius Pictauorum, & Martinus Turonen-

nensis, nullo modo in Concilia quædam Ariana uenire uoluerunt, quod satis perspicue intellexissent, illa à monarchis et maximæ existimationis quidē Episcopis, sed non synceris, indicta esse, non ad ueritatis patefactionem, sed eius oppressionem uerius, tyrannidisq; patrocinium. Sozomenus lib. histor. 2. cap. 25. de Synodo Tyria contra Athanasium instituta agens, Ferūt, inquit, Paphnutium confessorem cum in ea Synodo præsens esset, Maximum Hierosolymitanum Episcopum apprehensa illius manu, ut surgeret admonuisse, quod non liceret ipsis cum malorum hominum conuenticulo aliquid habere consortij, eò quod confessores essent, & propter pietatem oculis priuati ac genibus luxati, &c. Renuit præterea beatus Ambrosius causam fidei inter se et Auxentium in consistorio Imperatoris, uti petebat Imperator Valentinianus, disceptari. Inter alia, Quales, inquit, elegerit iudices, possumus existimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. Veniant planè, si qui sunt, ad ecclesiam, audiāt cum populo, non ut quisquam resideat iudex, sed unusquisq; de suo

affectu habeat examen, eligat quem ſequatur. Et paulo poſt, Veniſſem imperator ad conſiſtoriũ clemẽtiæ tuę, ut hęc coràm ſuggererẽ, ſi me uel Epiſcopi uel populus permiſiſſent, dicẽtes de fide in eccleſia coram populo debere tractari.

Vbinam ſit ſynodus congreganda. Quinam aut quales ſint mittendi ad Concilium. An laici admittendi ſint in Concilium. Et quid tractari conueniat in Concilio.

CAP. VIII.

Vbi ſit congreganda ſynodus.

CVm hac tractatione cohæret quęſtio, Vbinam potiſſimum Concilium ſit congregandum. Nimirum eo maximè in loco, ubi Eccleſia putauerit fore opportunum, neceſſarium & frugiferum. Quidam ibi conſultandum eſſe arbitrantur, ubi morbus, cui medicatum uolumus ſynodo, maximè graſſatur. Certè uoluit Antiochena Eccleſia Hieroſolymis celebrari Concilĩ, quod pſeudoapoſtoli ſuam illã doctrinam contra prędicationem Pauli expoſitam referrent ad Apoſtolos, qui Hieroſolymis agebant. Hieroſolymitana uerò Eccleſia ubi controuerſiam omnem diſcuſſiſſet, & legatos & literas miſit Antiochiam, & ad ea loca,

loca, in quibus falsam doctrinam pseudoapostoli subintroduxerant, ac in quæ error aut seductio peruenerat. Ita historiæ docẽt Alexandriæ synodos esse celebratas contra Arium, Antiochiæ contra Paulum Samosetanum, Romæ contra Nouatũ: quod in ijs ecclesijs errores periculosè grassaban tur. Absit autem in loco deligendo synodis malitia, absint insidiæ, & alia quæ cauerí necesse est, ut locus sit omnib. tutus, com modus, liber & idoneus. Alioqui enim licet pijs, deumq; timentibus uiris, quod & præcedente cap. dictum est, ipsum refugere Concilium: quod quale futurum sit, ex loco, in quo celebratur, non rarò palàm ap paret.

Quales ad concilium mittendi.

Iam etiam obseruandum nobis in sancti nostri historici Lucę uerbis, quales ad Concilium Hierosolymitanũ Antiochena Ecclesia legatos miserit, aut ire Hierosolymã iusserit, eos nimirum, inter quos erat certamen, & cum his quosdam alios, haud dubiè uiros excellentes pietate, eruditione & omnibus uirtutibus. Nam postea (ut dicã suo loco capite 16. huius libri) ex synodo Hierosolymitana miserunt Apostoli An-

tiochiam, nō quoslibet, ſed uiros delectos & inſignes. Vnde diſcimus in ſynodos mitti oportere eos, inter quos uigent certamina, diuerſaq; proponuntur dogmata, ut qualia illa ſint, inquiratur ex regula ueritatis ſcriptura ſancta, ſimul & diſſidia componantur, & ſponte deponantur. Ergo non oportet ad Cōcilia eccleſiaſtica mittere homines, qui per ſimoniam ingreſſi ſunt in eccleſiam, præterea qui ſunt indocti, in ſcripturis & rebus eccleſiæ parum exercitati, rerumq; pariter omnium imperiti, ſed Epicurei potius, homines Martiales uel militares, uel ſordidi & auari, aut ſponſi Penelopes, & manifeſtis fœdiſq; ſceleribus ita adoperti & infames, ut pij non poſſint eos pro uiuis aut ueris eccleſiæ membris agnoſcere. Synodus enim eccleſiaſtica de rebus eccleſiæ dei ſanctæ inſtituta, requirit homines eccleſiaſticos, ac peculiariter à deo legitime uocatos, nec non excellentibus donis inſtructos, in ſcripturis exercitatos, rerum ſcitu neceſſariarum, eccleſiæ potiſſimū peritos, moribus probis præſtantes, probatos integroſq; in religione uera, prudentes itē, moderatos, conſtantes denique, mites atq;

pacis

pacis sanctæ studiosos, rerũq; optimarum amantissimos. Si autem turpe aut indignũ quondã uidebatur gentes inducere in templum dei, quare non uideatur hodie sacrilegum, introducere in synodum ecclesiasticam canes & porcos? Ioannes Apostolus, Beati, inquit, qui seruant mãdata dei, ut sit potestas eorum in ligno uitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris autem canes & uenefici, & impudici, & homicidæ, & idololatræ, & omnis qui amat & facit mendacium. Huc etiam pertinet Apostolica illa descriptio Episcopi ecclesiastici, quæ exhibetur nobis in epistola ad Titum cap. 7. & & in 1. ad Timoth. capite 3. Talibus enim committuntur res ecclesiarum curandæ, quales ibi describuntur ab Apostolo. Remouentur à gubernatione rerum ecclesiasticarum, qui laborant uitijs contrarijs, curisq; huius seculi, nec non & uoluptatibus impediti sunt. Apoc. 22.

An & Laici admittendi sint ad concilium.

Cæterùm quærunt hic nonnulli, An & laici admittendi sint in Concilium, ut & in hoc possint loqui de rebus ad religionem pertinentibus, dicereq; sentẽtias? Nos certe ipsos remouere non possumus à consess-

ſu ſanctorum, cùm & ipſi ſint ſanctificationem conſecuti. Non improbamus tamen ſententias S. Ambroſij dicentis, Laicos docendos eſſe ab epiſcopis (loquitur autem de epiſcopis, qui reuera, non titulotenus epiſcopi ſunt, & docere poſſunt) Et in cauſa fidei epiſcopos iudicare (certè iuxta uerbū dei) debere. Sacerdotum enim eſſe illam de fide collationem in eccleſia, quam Conſtantinus liberam, non legibus (nimirum iniquis, & à ſcriptura alienis) circumſcriptā permiſerit interim ſynodos eccleſiaſticas non tantùm epiſcopos aut eccleſiarum miniſtros habere, magiſtratus & homines illuſtres excludere debere arbitramur, tametſi liberè fateamur potiores eccleſiæ miniſtris partes in conferendo, utpote peritioribus & exercitatioribus, modò tales reuera ſint, deberi. Ergo ſi paria aut maiora in laicis dona reluceant, cur repellerētur, aut non adhiberentur etiam Concilio eccleſiaſtico, cùm non alieni ſint ab eccleſia, & ſententia ipſorum cauſæ & eccleſiæ utilis eſſe poſſit? Vocatus fuit à deo Moſes unà cum ſenioribus, munuſq; prophetandi acceperat à
Num. 11. domino, ac prophetabat: cumq; in caſtris
prophe-

prophetarent etiam Eldad & Medad, & Iosue cohercendos existimare: audiuit à Mose, Quid æmularis pro me? Vtinam uniuersus populus domini prophetet. Fuit & Saul inter ꝓphetas dei repertus. Amos quoq; ad Amasiam sacerdotem prohibentem prophetare, Ego, inquit, neq; propheta eram, neque filius prophetæ, sed armentarius, sycomora stringēs. Tulit autem me dominus, cùm greges sequerer, & dixit ad me, Vade, & propheta contra populū meū Israel. Paulus ad Corinthios scribens de uarijs ecclesiæ morbis curandis, non excludit omnino laicos. Scribit enim ecclesię, in cuius corpore sunt & laici. Et in pręsenti Concilio Hierosolymitano pręcipuas partes habent Apostoli & presbyteri, sed his coniunguntur & fratres. Nam diserte quoq; scribitur, Placuit hoc Apostolis & senioribus, cum tota ecclesia. En diserte inquiunt, cum tota ecclesia. Et ritum hunc celebrādi Concilia in præsentia etiam populi Christiani fuisse receptū in ecclesijs Aphricanis tempore beati martyris Cypriani, illud maximè euincit, quod in Præfatione Cōcilij Carthaginensis, cui ipse præfuit Cyprianus, in

1. Sam. 9.

Amos 7.

hæc uerba ſcriptū legimus, Cùm in unum Carthagini conueniſſent Calēd. Septemb. epiſcopi plurimi ex prouincia Aphrica, Numidia, Mauritania cum presbyteris & diaconis, præſente etiam plebis maxima parte, & lectæ eſſent literæ Iubaiani, &c. En audimus hic, Præſente etiam plebis maxima parte, ſicuti in Actis Apoſtolorum legimus, Placuit hoc Apoſtolis & presbyteris cum tota eccleſia. Proinde non licet excludere eos, quos inclufit primitiua eccleſia. Homo ſenex, ſimplex, & ut Socrates in hiſtoria dicit, Vir laicus, ſimplici ſenſu prędituſ, & minimè in ſermocinali philoſophia inſtitutus, in Nicena ſynodo plus effecit, quàm doctiſſimi epiſcopi noſtrę religionis contra philoſophos facere potuerint. Quod Ruffinus refert Hiſtoriarum ſuarum libro 1. cap. 3. Valentinus quidem Imperator negauit ſui eſſe officij, ſedere in ſynodo: ſed uiſum eſt pijs uiris illum ſuo non ſatisfeciſſe officio. Conſtantinus contra in ſua illa apud Theodoretum epiſtola, lib. 1. cap. 10. Plurimis, inquit, collectis epiſcopis, me quoq; tanquamè numero ueſtro præſente, de omnib. conueniente inquit iito

ne

ne tractatū fuit. Minimè enim negauerim quo maximè gaudeo, esse in societate ministeriꝝ uestri. Ad hūc Imperatorem Constantinum prouocarūt Donatistæ post definitiones Concilij Romani & Arelatensis. Ac tulit tandem sententiam Imperator contra ipsos: quod facere non potuisset, si non habuisset uocem, ut uocāt decisiuam. De Constantio Imperatore sic legimus apud Hermium Sozomenum historicum: Imperator, ut cōueniant Episcopi, qui sententias suas dicerent, & de ijs quæ in controuersia essent, consultarent, & communiter de omnibus consentirent, mandauit: decem autem ex Occidentalibus, & totidem ex Orientalibus communi sententia cōgregati ad hoc eligerent, ut ad aulam uenientes, quæ decreta essent exponerent, ut & ipse consideraret, an secundum scripturas inter se conuenissent, & de rebus agendis quæ optima uiderentur determinaret.

Ac in ueteri Testamento non postremas aut infimas partes in Concilijs ecclesiasticis habuerūt reges & principes sancti, Dauid, Solomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias et alij; cur ergo nunc excluderentur, qui &

ipſi ſunt chriſmate peruncti Meſſiæ: At tamen ſicut in unius corporis mẽbris membrorum eſt inter ſe diſtinctio, nullaq; officiorum ſingulorum membrorum cõfuſio: ita ordo & officiorum proprietas, in cœtibus ſanctis, nullo modo uiolatur. Agit ea de re nõnihil beatus Apoſtolus Paulus in priore ad Corinth. cap. 14. Aeneas Syluius in Comment. de geſtis Concilij Baſilienſis oſtendit multis, nõ ſolos Epiſcopos in Conciliis uoces habere deciſiuas, ſed etiam inferiores, &c.

Quid in concilio tractari conueniat.

Porrò quid in Concilio tractari conueniat, oſtendit Lucas uno uerbo cum dicit, miſſos eſſe Hieroſolymam ſuper hac quæſtione. Et paulo poſt, Conuenerunt ut diſpicerent de hoc negotio: certè ut doctrinã pſeudoapoſtolorum prauam refutarent, apoſtolicam uerò rectam & declararent & aſſererent, declaratamq; & aſſertam proue herent & omnibus eccleſijs ſeruandam traderent ac commendarent. Ergo tractandæ ſunt in Concilijs potiſſimum cauſæ religionis controuerſæ, defendenda ueritas, oppugnanda & refutanda falſitas: collapſa & diſſipata, reſtituenda ſunt: medicandum item

item morbis & uitijs hominum in ecclesia, integritas disciplina & sancta pax reparanda & conseruanda est. Sic enim fecerunt in hoc apostolico Hierosolymis celebrato Concilio apostoli Christi. Sic fecerunt in multis alijs synodis patres in ecclesia Christi fideles. Ac in his quidem omnibus rite instituendis & perficiendis sequuntur pij in omnibus regulā uerbi dei: nihil hic suo indulgent arbitrio. Nulla synodus nouos instituit fidei articulos: sed ex uerbo dei traditos custodit. Fides enim ex auditu est, ut ait apostolus, auditus autem ex uerbo dei. Idem apostolus, Prædicatio mea, ait, non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostētatione spiritus ac potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia dei. Proinde recitata fide apostolica paulò fusius de utraque in Christo natura explicata, rectissime statuit sancta & uniuersalis Chalcedonēsis synodus, ut nemini liceat aliter sentire, aut fidē aliam proferre, uel conscribere, uel componere, uel alios docere. De quibus quidem hæc hactenus.

Nulla synodus condit nouos fidei articulos.

Paulū deductū ab ecclesia Antiochæna ascendisse Hierosol. ad Apostolos: in itinere ecclesijs conuersionem gentium narrauisse: & quo modo exceptus sit Hierosolymis ab apostolis.

CAPVT IX.

SEquitur consequenter in historia beati Lucæ.

Illi ergo missi (uel deducti) ab ecclesia pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conuersionem gentium: & adferebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem uenissent Hierosolymam, susceptisunt ab ecclesia & ab apostolis & presbyteris, annunciaueruntq; quæcunque Deus fecisset per eos. Surrexerunt autem quidam è secta phariſæorum qui crediderant, dicentes, Quod oporteret circumcidere eos, ac præcipere, ut seruarent legem Mosis. Conueneruntq; apostoli & presbyteri, ut dispicerent de hoc negotio. Cum autem magna disceptatio extitisset, surrexit Petrus, et dixit eis.

Describitur his admodū eleganter profectio legatorum Antiochia Hierosolymā, & quomodo ibi sint excepti: quam acris itē inter partes de re controuersa concertatio sit exorta, & quomodo S. Petrus hic suam interposuerit authoritatem, testimonio ueritati

ſitati exhibito. Quæ quidem ſigillatim ad eruditionem omniũ noſtrum tradita, pro gratia conceſſa à domino, explicabimus.

Principiò autem & ante omnia obſeruanda eſt nobis ſingularis illa obedientia beatorum apoſtolorum Pauli ac Barnabæ ſociorumq; ipſorum. Potuiſſent obtendere ſe quoque eſſe Chriſti apoſtolos, ac ideo nihil neceſſe eſſe Hieroſolymam ad apoſtolos pares aſcendere: ſed omiſſa omni tergiuerſatione, parẽt libenter monitis ſancti ſpiritus & mandato uel decreto Antiochenæ eccleſiæ. Ergo quandocunque conſtat uocari nos legitime à deo in legitimũ Concilium, ſignisq; aut notis aut iuſtis argumẽtis oſtendi poteſt, deum uelle ut eatur in ſynodum, iam nefas eſt reluctari deo, & tergiuerſando apoſtolicã aſpernari ſynodum. Obedientia apoſtolorum.

Atque hic uidetur Lucas in ſuo idiomate plus dixiſſe, quam aſſequutus ſit uulgaris interpres, qui tantũ uertit, Illi ergo miſſi ab eccleſia. Lucas enim ſic habet, οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, Illi ergo deducti ab eccleſia. Eſt enim προπέμπομαι honoris cauſa deducor: & προπεμπὴ deductio honorifica, Ita enim idẽ author in 20. cap. Deducebantur ad concilium.

loquens de presbyteris Ephesinæ ecclesiæ & fidelibus Miletanis, uehementer amantibus Paulum, Et deducebant, inquit, eum ad nauem. Et 21. cap. loquens de Tyriis fidelibus. Et profecti, inquit, ibamus, deducentibus nos omnibus unà cum uxoribus & filiis. Ibi enim Lucas dixit, προέπεμπον: hic uerò προπεμπόντων. Et apostolus Paulus ad Titum, Zenã legisperitum, inquit, & Apollo studiose πρόπεμψον deducito, ne quid illis desit. Modus autem deductionis per illud quod sequitur explicari uidetur, Ne quid illis desit, aut ulla re indigeant. Videri ergo poterat deductio illa Antiochenæ ecclesiæ subsidium habuisse aut suppeditasse apostolis, ne quid illis in itinere deesset rerum ad profectionẽ talem necessariarum. Certè de Constantino magno Eusebius in uita Constant. lib. 3. Synodum, ait, œcumenicam collegit, ac Episcopos ut undique accelerarẽt honorificis literis conuocauit. Non erat hoc edictum simplex & inefficax, sed cooperabatur etiam illi reipsa imperatoris nutus: qui aliis facultatem publici itineris, aliis iumentorum ministeria abunde suppeditabat. De eadem re testificans

ficans & Socrates hiſtoriarum lib. 1. cap. 7. Conſtantinus nobilem illam, inquit, coegit Niceæ ſynodum, conceſſo Epiſcopis unà cum ſuis, uſu publicorum aſinorũ, mularum, iumentorũ & equorum: iuſsitq; omnia eis neceſſaria liberaliter ſuppeditari. Euſebius iterum in uita Conſtantini lib. 3. teſtatur uictum patribus Concilij quotidianum fuiſſe ſuppeditatum, menſura admodum liberali. Et Theodoretus author eſt Imperat. præſtantiſs. quoſq; ſuæ adhibuiſſe menſæ, &c. Proinde requiritur in indictione Conciliorum & hoc, ut ſi itinera nõ ſint tuta, tuta reddantur, reditus quoque in columis, & pax uel ſecuritas aut tranquillitas integra, toto illo tempore quo celebratur Conciliũ, omnibus concedatur ad Conciliũ uenientibus publica interpoſita fide: & ne hęc turpiter ab ullis uioletur: ſicuti in aliquo aliquãdo Cõcilio legitur in hiſtoria.

Porrò in itinere Hieroſolymam uerſus Apoſtoli Paulus & Barnabas minimè fuerunt deſides aut ocioſi. Nam propagarunt gloriã dei, & ſalutarem Euangelij Ieſu Chriſti prædicationem. Etenim Phœniciam & Samariam tranſeuntes, paſſim in omnibus

Pauli doctrina confirmata à Deo.

ecclesijs exposuerunt conuersas esse Gentes plurimas ad Christum per prædicationem ipsorum: quo nomine plurimùm gauisæ sunt Ecclesiæ. Sicut enim fideles grauiter dolẽt ob cæcitatem & perniciem, interitumq; impœnitẽtiũ hominũ: ita quàm maximè lætantur propter conuersionem peccatorum ad Christum. Et cùm Ecclesię Phœnicum & Samaritanorum gaudẽt ob conuersionem Gentium per prædicationem Apostoli Pauli, gaudio illo suo manifestè testantur se agnoscere Pauli prædicationem ueram uel synceram esse, & non dubiam aut falsam, quemadmodum Nazarei aduersarij Pauli eam infamare conabãtur. Nam abundè benedixerat eius prędicationi dominus. Quanquam ergo iussi essent Hierosolymam ad Apostolos ascẽdere, ad discutiendam controuersiam, non prohibebatur tamen eis prædicatio, donec ab Apostolis esset lata sententia. Vnde claret omnes pios rectè sensisse de doctrina Pauli, & nihil ob contradictionem aduersariorum de ipsa addubitasse.

Quomodo exceptus Paulus Hierosolymis.

Post hæc exponit etiam Lucas, quomodo Paulus cũ suis Hierosolymis exceptus sit ab

ſit ab Apoſtolis & presbyteris, benignè utique & maxima cum charitate ac humanitate. Oportet ergo inter eos, qui congregantur in ſynodo, concordiam eſſe ex ſyncera charitate: exulare uerò ab eis diſcordiam, lites, ſuperbiam aut faſtum, & ambitionem cum contemptu. Expoſuerunt autem per quàm familiariter Paulus & Barnabas Apoſtolis & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, non equidem quæ ipſi feciſſent ſua uirtute, ſuo ue merito: ſed quæcunq; deus feciſſet per eos. Quod genus locutionis in hac eadem cauſa paulò poſt totidem uerbis repetitur. Id quod diligenter obſeruandum eſt. Sancti enim omnem deo gloriam tribuunt, nec patiuntur, ut cùm deus aliquid per ipſos operatus eſt, ipſos admiremur & ueneremur. Vnde illi ipſi Paulus & Barnabas modis omnibus obſtitere Lyſtrenſibus propter beneficium ſanitatis in nomine domini claudo ab eis præſtitum ſacrificare uolẽtib. ne in re blaſphema alioqui, pergerent. Sed & Petrus & Ioannes cùm in nomine domini reſtituiſſent claudum ſanitati, & populus obſtupefactus ipſos intueretur, dixerũt, Viri Iſraelitæ quid

Act. 14.

Act. 3.

miramini ſuper hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra uirtute aut pietate effeceri-mus, ut hic ambularet? Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuũ Ieſum. Videntur autem Apoſtoli Paulus & Barnabas apud eos, apud quos exponebant quęcunque deus feciſſet per eos, ſimul etiam approbare uoluiſſe genus doctrinæ, quod apud gentes tradiderant, fide in Chriſtum abſque lege iuſtificari credentes. Qam ſanè doctrinam oſtẽderunt deum ſignis conſequentibus approbaſſe, confirmaſſe, eccleſijsq; commendaſſe.

Repetitur ſtatus huius controuerſiæ, ad quã diſcutiendam coit Concilium Hieroſolym. Fit acris inter diſputantes concertatio, oſtenditurq; quis ſit legitimus modus tractandi controuerſias in Concilio. CAP. X.

Repetitur ſtatus controuerſiæ. Act. 3.

CVmq; modò expoſiturus erat Lucas, quomodo in Concilio hæc controuerſia ſit diſcuſſa, iterum propoſitionem præcipuam, in qua ſtatus cauſæ uerſabatur repetit, & ait, Surrexerunt autem quidam è ſecta Phariſæorum, qui crediderant, dicentes quòd oporteret circuncidere eos, ac præcipere, ut ſeruarent legem Moſis. Ac multum refert in re qualibet uerum cauſæ, de

de qua agitur, tenere ſcopum. Vnde non ſuperuacaneè hãc repetijt Lucas. Ad hunc certè ſtatum referũtur omnia, quæ inter ſe partes conferunt, quæ item Petrus dicit, quæ Iacobus profert, & quæ uniuerſa eccleſia Apoſtolica ſynodalibus literis definit ac comprehẽdit. Sunt qui illa uerba ita interpretantur, quaſi Paulus & Barnabas ipſa apud Apoſtolos & presbyteros hoc ſenſu propoſuerint, Nos quidem prædicauimus Euãgelium Gentibus, & deus benedixit uberrimæ noſtræ prædicationi, ſignis efficaciſſimis per nos editis. Cæterùm dum ſumus in medio uerbi curſu, exorti ſunt contra nos Phariſæi illi noſtri aduerſarij, qui & ipſi ſe credere fatentur in Chriſtum, interim uerò credẽtes negant ſeruatum iri fide, niſi etiam circuncidantur, & ſeruent legem. Siue uerò iſta ſint hiſtorici uerba, ſiue Apoſtolorum, idem perpetuò ſenſus manet. Ac memori memoria retinendum eſt nobis, in eo totam hanc (ſicuti & 3. cap. monui) uerſari controuerſiã, quòd Apoſtoli docebãt hominẽ fide ſeruari abſq; lege: pſeudoapoſtoli contra aſſeuerabant, hominem non fide, ſed magis lege ſeruari.

Quomodo apostoli in Concilio discusserint hanc cõtrouersiam.

Iam uerò propter hoc negotium (quod Lucas more aut sermone Hebraico uerbũ uocat) conuenerunt Apostoli & seniores ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut inquam dispicerent quid in propositis dogmatibus contrarijs uel uerum esset uel falsum, quid docẽdum esset quid non docẽdum, & imprimis quæ esset hac de re Apostolorum Hierosolymis agentium doctrina. Est autem nobis diligẽter obseruanda ratio, quã hac in re secuti sunt Apostoli. Conueniunt hi primùm, nec altercantur de primis cathedris huic aut illi occupandis, neque de infimis subsellijs huic aut illi paratis. Considẽt tranquillè ordine pulcherrimo, quem præscribit charitas, honor, & moderatio animi, quã informans ad Philip. Apostolus, Complete gaudium meum, inquit, ut similiter affecti sitis, eandem charitatem habentes unanimes, idem sentientes, ne quid fiat per cõtentionem aut inanem gloriam, sed per humilitatem animi, alium quisq; se præstantiorẽ existimet, &c. Rectissimè dicit primatum alium quidem esse potestatis, ordinis alium. Iuxta potestatem omnes Apostolos eiusdem esse honoris, & paris potestatis:

Ordine

Ordine uerò iam anteire Petrũ, iam alium ex apoſtolis. Et in præſenti ſynodo loquuntur primò quidem partes contendentes, mox beatus Petrus ſuam dicit ſententiam, poſt ipſum loquitur diuus Iacobus. Oportet enim inter dicẽtes, conſultantes, & ſententias pronunciantes obſeruari ordinem. Interim qui ordine præcedit, primoq; loco dicit, aut etiam ſynodo præſidet, ideo non eſt dominus ſynodi, & primas omnium eorum apud quos loquitur, &c.

Acris concertatio in Concilio.

Vbi uerò collecti conſediſſent, auditæ ſunt partes inter quas erat controuerſia, ac ſingulæ ſua propoluerunt dogmata, ſuas rationes, & ſua argumẽta. Ibi uerò dum quælibet ſuam tuetur propoſitionem, non exigua, ut ſit, exorta eſt concertatio. Nam ueriſimile eſt pſeudoapoſtolos acriter ſuum defendiſſe ſtatum: unde commoti apoſtoli, utpote homines ueritatis amantiſsimi, non potuerunt frigide ſua proponere atq; tueri, contrariamq; oppugnare ſentẽtiam. Cum autem tam acris inter hos & in tam ſancto concilio exorta eſt cõcertatio, quid mirum obſecro aut cuinam uideatur uituperandum, ſi hodie quoq; ferueant & ſcri-

pta & dicta illorum, qui puram luculentamq; ueritatis causam defendunt contra hostes ueritatis, qui feruide & immoderate & corrumpere syncera & tenebras luci inducere student? Dum autem disceptaretur inter partes & ferueret contentio, exurgēs Petrus, suam interponit authoritatem, & quid ipsi hac in re uideatur grauiter exponit, conuerso ad pseudoapostolos sermone. Lucas enim, Surrexit Petrus, ait, & dixit eis, nimirū pseudoapostolis. Tota enim Petri oratio confirmat Pauli doctrinam, Pharisæorum refellit. Tandem enim erumpēs, Et nunc quid tentatis deum, inquit, ut imponatur iugum, &c. Quod [illegible] in solos competebat pseudoapostolos.

Quis sit legitimus modus tractandi controuersias in Concilio.

Ex istis uerò omnibus perspicue discimus, quis sit legitimus modus tractādi controuersias in Concilio. Nam exemplo apostolico docemur conuenire debere præstantissimos ecclesiæ uiros, & his præsentibus diligenter & luculenter exponi oportere statum controuersiæ, partium denique rationes & argumenta audire & cognoscere. Quod si acris inter disceptantes exoriatur contentio, non ideò in uniuersum & causam

sam & uehementius disputantem esse condemnandum. Vbi uerò, quãtum satis est, audita est partium disceptatio, consulatur ultimo loco sententia apostolica: sicuti in præsenti Petrus & Iacobus suas proferunt sententias, atque quid in causa controuersa tenendũ aut docendùm, quid uerum aut quid falsum sit, definiũt. Hunc modum & hanc rationem tractandi aut discutiendi in Concilio controuersias, sequutus est beatis. Imperator Constantinus, in synodo illa celebri & omnium præstantiss. Nicena. Nam Theodoretus in historia sua commemorat Imperat. in confessu patrum in hũc modum fuisse loquutum Episcopis, Nihil indignius quam hostibus (idololatris) domitis, Episcopos Christianos se mutuò impetere, & uoluptatem risumq; conciliare inimicis: præsertim in disputationibus rerum diuinarum, in quibus haberent doctrinam sancti spiritus præscriptam. Euangelici enim & apostolici libri, dicebat, nec non antiquorum prophetarum oracula, plane instruunt nos sensu numinis. Proinde hostili posita discordia, sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes quæstionum.

Lib. 1. capite 7.

Tantum ille. Retineant hanc rationem ex scriptura sancta utriusque Testamenti de rebus omnibus, quæ in disceptatione sunt, definiendi in Concilijs, quicunque salutari cum fructu synodos conuocare instituunt. Absint hinc omnes fraudes & doli, scriptu rarumq; detortæ & alienæ expositiones, petatur sensus ex ipsamet scriptura, ac refe ratur ad regulam fidei & charitatis ad gloriam dei & ueram salutem hominis. Caueatur hic diligentissimè, ne supposititi aut nothi & non canonici, uel non genuini libri, sed pro his aut cum his traditiones & constitutiones hominum pro scriptura sancta obtrudantur: neue paucorum arbitrio libidineue & artibus subdolis omnia synodi negotia gerantur, & quod rationibus uel argumentis è scriptura petitis asseri & persuaderi nõ potest, armata manu inuitis etiam imponatur. Nam Apostoli, qui cum authoritate loqui poterant, & uno uerbo quod tenendum sit omnibus, uel asserere uel negare, in præsenti tamen Hierosolymitana synodo omnia quæ proposuerunt iustis rationibus, euidentibusq; argumẽtis & scripturæ testimonijs confirmarunt aut appro-

approbarunt. Id quod in Oratiõnibus S. Petri & S. Iacobi Apoſtolorum liquidò apparebit. Ad quas explicandas nunc deſcendimus.

Petrus Apoſtolus Pauli doctrinã approbat, & oſtendit euidentibus argumẽtis, fide, non lege, iuſtificari credentes. CAP. XI.

SEntentiam ſuam de controuerſia illa, quæ controuertebatur inter Paulum & Barnabam, & inter Phariſæos illorum aduerſarios, S. Petrus inſignis Chriſti Apoſtolus perſpicuè admodum & euidenter coram uniuerſo Concilio exponit, pronuncians per omnia pro dogmate Pauli Apoſtoli, contra doctrinam Phariſæorum credentium, Pauli aduerſariorum. Nam ad Concilium ipſum primò conuerſus, deinde ad Phariſæos reſpectans, minimè obſcuris uerbis ait, Petrus pro Paulo pronunciat.

Viri fratres, uos ſcitis quòd ab antiquis diebus Deus inter nos me elegit, ut per os meum audirent gentes uerbum Euangelij, & crederent. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium reddidit illis, dato illis ſpiritu ſancto, ſicut & nobis: nihilq́, diſcreuit inter nos & illos, fide purificatis cordibus illorum.

Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi.

Oratio hæc Petri uerbis admodum est succincta, sed perspicua tamen, sensu copiosissima, elegantissima quoque & uigore euidentissima, ut ex ipsa diuini spiritus ingenium, & S. Petri ingentia dona cernere liceat. Scopus aut status Orationis huius hic est, homines fide iustificari, non lege, neq; hanc fidelibus esse obtrudendam. Duabus itaque absoluitur partibus. Et quantum attinet ad partem primam, ostendit id quod in controuersia erat, fide non lege iustificari credentes. Deinde demũ adiicit partem alteram, legem fidelium humeris non esse obtrudendam. Demonstrat autem id quod pro doctrina Pauli, contra prædicationem pseudoapostolorum pronunciat, narratione admodum neruosa aut argumentosa. Narrat enim quomodo euocatus sit cœlesti oraculo à deo ad annunciandum Euangelium Cornelio homini ethnico & militari,

Status orationis S. Petri.

tari, imò militum centurioni, quem deus fide non lege purificauerit, ac spiritu cœlitùs emisso in ethnicos, approbauerit gentes etiam incircuncisas, & absque lege, per gratiam Christi populum esse dei. Verùm singula in his sunt nobis diligentius examinanda, ut orationis eius euidentia omnib. innotescat.

De titulis tribuendis Petrus non est superstitiose solicitus.

Ab initio non multum diligentiæ collocat in recitandis ordine ampullosis aut magnificis titulis, Reuerẽdissimi, Reuerendi, amplissimi & inclyti uiri, patres beatissimi, illustriaq; totius mundi lumina, &c. Et tamen erant in hoc consessu uiri, si qui alij in uniuerso mundo, amplissimis titulis honorandi & prædicandi. Cæterùm ut modum hac in re, ut in qualibet alia, adhibẽdum esse disceremus, omissis ambitiosis illis & propè immoderatis adulatorijsq; titulis, ne tamẽ nimis familiariter & abiectè cum eis loqueretur, satis honorificè nuncupat uiros & fratres. Meminerimus ergo semper in tribuendis titulis ne uel per cõtemptum eorum, quibuscum loquimur, uel per nimiam peccemus licẽtiam. Videtur autem initium Orationis S. Petri cõcertationem

grauem altercantium de iustificatione uel purificatione salutecp hominis interrupisse. Perinde enim est, cùm ait, Viri fratres uos scitis, &c. ac si dixisset, Quid obsecro tam longa & tam acri concertatione opus est? Recitabo hic uobis non fabulam, non somnium, necp expositionem dubiam, sed rem certam & compertam, quam uos omnes ueriſſimã esse scitis, ut operosiore probatione aut demonstratione eius rei nihil sit opus. Scitis inquam me iampridem (id significat Ab antiquis diebus) ex hoc nostro cœtu uel numero Apostolico electum esse à deo, ut per meã prædicationem gentes audirent Euangelium, & prædicato crederent. Paucis autem his uerbis attingit historiam, quæ copiosissimè & elegantissimè exponitur à Luca cap. Act. Apost. 10. & repetitur cap. 11. Argumentum uerò Apostoli Petri incumbit in autoritatem dei uocantis ex mera gratia Cornelium, mittentiscp Petrum ad gẽtes incircuncisas, quas non iusserit circuncidere, neque eis legem imponere, sed Euangelium prædicare: & quidẽ in hũc finẽ, ut crederẽt. Vnde manifestè colligit fide nõ lege seruari homines.

Porrò

Porrò uocatio uel electio illa Petri ad annunciandum gentibus euangelium, facta à deo, est admodū insignis, habens memorabilem angeli dei apparitionē ac mandatum, deinde etiam cœlestem uisionem & oraculum, ut oporteat ipsam non inexpensam prętterire. Nam illis certè euidentissimis argumentis declarare uoluit uniuerso mūdo deus, quod gratuitò seruet ex misericordia sua in Christo per fidem homines peccatores. Ideo enim delígit sibi non quemlibet, sed Cornelium hunc hominem ethnicum & militarem, imò militum centurionem, ut totum hoc quod cum ipso fit, tribueremus gratiæ dei. Tametsi enim scriptura dicat, Erat hic religiosus, uir iustus, ac timens deum, cum tota domo sua, præstans eleemosynas multas plebi, deprecansq; deum semper, ac testimonium habebat ab uniuersa gente Iudaica, nemo tamē uere deum timens sentit Cornelium sua illa iustitia, quæ euangelij prædicationem & baptismum præcessit, promeruisse euangelij prædicationem & remissionem peccatorum: aut quod illam iustitiam habuerit à natura, & non à dei gratia; sed hoc potius sen

Vocatur Petrus ad euangelium gentibus annunciandū.

Vocatur Cornelius ex mera gratia.

tiendum est, Cornelium fuisse hominem peccatorem, omni iustitia & pietate inanẽ, & deum omnino talem inuenisse Cornelium, ex gratia uerò instillasse ei semina pietatis, quæ incrementis quibusdam auxerit, tandem & per prædicationem S. Petri plenè absoluerit, ipsumq; ad se attraxerit atq; iustificauerit. Non dico hæc sine authoritate scripturarũ, & uetustatis purioris. Nam Arausicanum Concilium 2. quod uidetur celebratum inter Ephesinam & Chalcedonensem generales synodos, circa annũ domini 440. illa ipsa de re hæc ad uerbum nobis reliquit, Si quis per inuocationem humanam dicit gratiam dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut inuocetur à nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, uel apostolo idem dicenti, Inuẽtus sum ab his, qui me non quærebant, palàm apparui his qui me non interrogabant. Si quis ut à peccato purgemur uoluntatem nostrã deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari uelimus per spiritus sancti infusionem & operationẽ in nos fieri, confitetur, resistit ipsi spiritui sancto, per Solomonem dicenti, Præparatur uoluntas à domino:

mino: & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis & uelle & perficere pro bona sua uolũtate. Hoc enim salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramentũ fideliter requiramus, & post baptismum (cum eius adiutorio) ea quæ sibi placita sunt implere ualeamus. Vnde manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem dominus ad paradysi patriam reuocauit, & Cornelij centurionis, ad quem angelus domini missus est, & Zachæi, qui ipsum dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides, non fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum. Hactenus recẽsui scripturæ & Arausicani Concilij testimonium: quod & totidem uerbis insertum est in Definitiones ecclesiast. cap. 51. Cornelium ergo gentilem hominem & incircumcisum, & legis ignarum Mosaicæ, hominem inquam peccatorẽ, deus elegit, in quo ostenderet gratia sua per fidem propter Christum iustificare se 1. Tim. 2.

peccatores, & nõ propter circumcisionem aut per legem.

Angelus domini apparet Cornelio.

Proinde mittitur à deo angelus ad hunc Cornelium, quem quidem deus in gratiam suam receperat, & in pietate prouehere cœperat, nunc autem plenius absoluere cogitat. Mandat itaque deus per angelum suũ, ut Cornelius Cæsaream euocet ex Ioppeno oppidulo, apostolum Petrum. Nam hic tibi, ait, dicet, quid te oporteat facere. Potuisset quidẽ deus ilicò & eodem momento per angelum exponere, quæ faceret Cornelius, sed maluit id fieri per Petrum: ut ita uniuersæ dei ecclesiæ ministerium commendaret uerbi sui. Cornelius obedientiæ iustæ exemplum, nihil curiosius inquirit, & cur nunc non erudiatur ab angelo? an non melius ab angelo, quàm homine possit erudiri? sed simpliciter honorificam legationem Ioppam mittit, ascitum apostolum Petrum. Vnde iam claret & uocationem Cornelij ad audiendum à Petro euangelium, & uocationem Petri ad prædicandum Cornelio euangelium, manifestissime esse à deo.

Visionem habet S. Petrus.

Interea dum in itinere sunt famuli Cornelij,

nelij, Ioppę eruditur ac præparatur etiam Petrus, qui nondum intelligebat plenè gratiam Christi gentibus quoque incircuncisis deberi. Eruditur ergo Petrus, & cum ipso omnis posteritas per uisionē cœlestem & oraculum diuinum. Non enim uulgariter, sed modo quodam singulari hoc negotium doceri oportuit, uniuersæq; commendari Ecclesiæ. Nam noua insolita ac incognita hæc tunc fuisse fidelibus, euincit expositio capitis 11. Act. Apost. Petrus ergo dum ascenderet in superiorem partem domus (in qua habitabat apud Simonē quendam coriarium) ut oraret, uidit cœlitùs ad se demitti uas quodpiam uelut linteum ingens, in quo erant omnis generis animantia, etiam immunda, simul uoce cœlitùs delata iubebatur Petrus parare animantia, & edere. Cumq; Petrus responderet, nunquam se immundum edisse, atque ideò se ne nunc quidem huius quidpiam edere atque ita se polluere uelle, audiuit cœleste oraculū, quod ita pronunciaret, Quod deus purificauit, tu ne immundum dixeris. Idq; totum, non semel & iterum, sed tertiò comparuit & Petro dictum est. Hæsit ille

& ſecum quid uiſio oracularis ſibi uellet expendit. Mox itaque adſtant ad ianuam domus illius famuli Cornelij, ueriſſimi oracularis uiſionis interpretes. Petunt enim ut Petrus Cæſaream ueniat ad Cornelium hominem opinione Iudæorum impurum, & annunciet ipſi domuiq; ipſius uerbum. Ex quibus intellexit Petrus deum ſibi gentes purificaſſe aut purificare uelle: unde Petrus unà cum fidelibus alijs non debeant abhorrere à Gentium conſortio, neque illas immundas reputare, quas deus uelit purificatas. Proinde abſque mora proficiſcitur Cæſaream, accedit Cornelium, quem non circuncidit, neque legem ei impoſuit, ſed ſimpliciter quod dominus per angelũ iuſſerat, prædicauit ei uerbum Euãgelij de Chriſto. Ac inter alia, Huic, inquit, omnes prophetæ teſtimonium ferũt, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomẽ eius, quiſquis crediderit in eum. In hac inquam narratione euidenti irrefragabilia ſunt argumenta cõprobantia & uocationẽ Cornelij & Petri eſſe à deo, & deũ purgare ſibi populum ſuũ non per circunciſionẽ & legem, ſed per gratiã & fidem in Chriſtum.

Petrus abit prædicatũ euangelium Cornelio.

Verùm

Verùm pergit ipſe Petrus apoſtolus reliqua huius hiſtoricæ narrationis addere, quantum ſatis eſt, per quæ cauſam ipſam quam ſumpſit tractandam, illuſtret & perſpicue demonſtret fide non lege iuſtificari credẽtes. Sunt autem ea quæ ſuperioribus ſubiungunt huiuſmodi, Cornelius euangelio prædicato credidit: neq; aliud fecit. Nã neque circumciſus eſt, neque legem recepit: ſed credidit, ac remiſſionẽ peccatorũ eſt conſequutus. Sequitur enim in uerbis Petri, Fide purificata eſſe corda Cornelij & ſuorum. Et quidem corda polluntur peccatis: nec purgantur niſi per ſanguinem Chriſti: ſicut Ioannes docuit 1. Ioan. 1. & 2. & Paulus Hebræos 9. & 10. Nam propter effuſum ſanguinem Chriſti, deus non reputat nobis peccata noſtra, imputat aũt nobis iuſtitiã Chriſti, ſicut clare docetur Rom. 4. & 2. Cor. 5. cap. Quoniam uerò fide in Chriſtũ uera hæc recipimus: & ſi nõ credamus, purgationis huius expertes ſumus, recte dicit ſcriptura fide purificari corda, ſanctificari nimirum animas noſtras, iuſtificari nos & ſeruari totos.

Fide purificatus eſt Cornelius.

Cum autem aduerſarij obijcere potuiſ-

ſent, Vnde uerò manifeſtum eſt Corneliũ cum ſuis credidiſſe & cordibus purificatos eſſe quando fides donum ſit dei, neque mox foris appareat? addit S. Petrus, deus qui corda nouit, & de quo Ieremias teſtatur & ait, Oculi tui domine reſpiciunt fidẽ, teſtimonium illis præbuit, nimirum fidei & per fidem purificationis, cum eis dederit ſpiritum ſanctum. At hic obſeruandum eſt donum hoc ſpiritus ſancti & inuiſibile eſſe, & uiſibile. Inuiſibile non nunc primùm accepit donum, ſed antea Cornelius: Sine quo utique neque angelo credere, neque Petrum uocare, neque diſſerentẽ audire credereq́ꝫ potuiſſet. Nemo enim pöteſt dicere, ſicuti Paulus ait, dominum Ieſum, niſi per ſpiritũ ſanctum. Ergo poſtquam audiſſet uerbum euangelij & credidiſſet ei, purificatusq́ꝫ eſſet ſanguine Chriſti, ſpiritualiter aſperſus corde, accepit uiſibile donum ſancti ſpiritus ſub ſymbolo ignis. De quo in præſenti loquitur Petrus, qui in 11. cap. Illapſus eſt, inquit, ſpiritus ſanctus in illos, quemadmodum & in nos illapſus fuerat initiò. Veniebat autem in mentem quod dixerat dominus, Ioannes quidem

Ierem. 5.

Donũ ſpiritus ſancti uiſibile & inuiſibile.

2 Cor. 12.

dē baptizauit aqua, cęterùm uos Baptizabimini ſpiritu ſancto. Idem in præſentia, Dans illis, inquit, ſpiritum ſanctum, ſicut & nobis: nihilq; diſcreuit inter nos & illos. Ita ſemetipſum exponit Petrus. Fuit autē ſymbolū hoc ignis aperuſſimum argumentum, quòd deus gentes agnoſceret pro ſuo populo, quas & externo aquæ baptiſmo in eccleſiam recipi uoluit, ut uera eccleſiæ Chriſti membra. Vndè Petrus uiſo in Cornelij ſuorumq; capitibus igne, dixiſſe legitur, Num quis prohibere poteſt, quominus aqua baptizentur hi, qui ſpiritum ſanctum acceperūt ſicut nos? Præterea loquebatur linguis Cornelius cum ſuis, ac magnificabant deum, ita ut fecerant Apoſtoli in die Pentecoſtes. Nihil ergo diſcreuit inter nos, inquit Petrus, inter Iudæos inquā & Gentes, cùm utroſque purificarit fide, utroſq; donarit ſpiritu ſancto uiſibili, & certiſſimo populi dei ſigno. His omnibus coram uniuerſo Concilio probauit, imò & euidentiſſimè demonſtrauit Petrus, gentes non lege, ſed fide iuſtificari, & pſeudoapoſtolorum doctrinam cōtrariam eſſe falſam, Pauli uerò eſſe ueram, qui in 2. cap. ad Ga

Galat. 2. Iat. ad hunc ipsum Petrũ dixisse quondam legitur, Si tu cùm sis Iudæus, gentiliter uiuis, ac non Iudaicè, cur gentes cogis Iudaizare? Nos natura Iudęi, & non ex gẽtibus peccatores, quoniã scimus hominem non iustificari ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Iesum Christum credidimus, ut iustificemur ex fide Christi, & nõ ex operibus legis. Propterea quod non iustificabitur ex operib. legis ulla caro, &c.

Legem fidelibus ad Christum conuersis non esse obtrudendam. Fide enim per gratiam Christi, non per legem seruari omnes sanctos cum ueteris tum noui Testamenti.

CAP. XII.

Confutantur pharisęi legem imponere uolentes ad Christum conuersis.

ALtera parte huius causæ absoluta, descendit ad alteram explicandam S. Petrus, legem uidelicet non esse obtrudendam fidelibus ethnicis conuersis ad Christum quasi ad salutem necessariam. Conuersus enim ad aduersarios Pauli & Barnabę Pharisæos, cum ipsis ueluti expostulans doctrinam ipsorum confutat, & ait, Cùm hæc ita, ut dixi, certò habeant, cur uos tentatis deum, ut imponatur iugũ legis super ceruices discipulorum, &c. Deum uerò tentare

tẽtare in ſcripturis dicũtur, qui experimentum potentiæ eius in eo requirunt, quod deus nõ ita ordinauit, Sathanas autem uel homines prauis ſuis ex affectibus ita fieri uolunt per dei potẽtiam: quemadmodum Sathanas domino noſtro ſuadebat, ut præcipitẽ ſe daret de pinna templi, quod deus ipſum potentia ſua per angelorum miniſterium ſeruare poſſet incolumẽ: cùm tamen deus hoc nollet, ſed inſtituiſſet magis ut deſcenderetur inde per gradus, & non peteretur in re non neceſſaria & aliter ordinata experimentum diuinæ potentiæ. Ad eundem modum pſeudoapoſtoli imponere uolebant legem obſeruandam fidelibus ut poſſibilem & ſalutarem per dei omnipotentiam: quam tamen deus non ita inſtituerat, ut per ipſius obſeruationem homines ſeruarentur. Nam & Paulus ad Galatas dixit, Si data fuiſſet lex, quæ poſſet uiuificare, uerè ex lege eſſet iuſtitia: ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu daretur credentibus. Ergo S. Petrus huiuſmodi quiddam uidetur dicere, Indigniſſimum eſt homini fideli, præterea & grande ſcelus tentare dominum Galat. 3.

deum. Illi tentant deum, qui legem uolunt obtrudere fidelibus. Grauissimè ergo contra deum peccant, qui legem fidelibus obtrudunt. Quare itaque uos Pharisæi tanto uos polluitis scelere? Grauis sanè erat hæc confutatio doctrinæ Pharisaicæ. Nec̃ scio si quid grauius in Pharisæos dici potuisset. Catena illa cõtexta ex ueterum interpretũ Græcorũ expositione, hũc locũ sic enarrat, Quid tentatis deum? id est, quid diffiditis deo, quasi fide accedentes ad se saluos facere non possit? Sequitur alterum argumentum, quo ipsorum doctrinã refutat. Nam à conditione fidelium argumentans, Christus discipulorum, id est fidelium suorum, inquit, colla subduxit iugo seruitutis, libertate uera donata credentibus. Quàm iniquũ ergo est liberos, & Christi quidem cruore liberos factos fideles uelle humana, imò impia audacia rursus subdere seruituti? Plagij hoc maximi sceleris genus quoddam est. Proinde si perrexeritis fidelibus obtrudere legem, pergetis libertos Christi & emptos sanguine eius in seruitutem retrahere, maximo sanè cum piaculo. Gal. 5. Paulus certè ad Galat. In libertate, inquit, qua

qua Christus nos liberauit, state: & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Rursus ex natura legis & infirmitate humana aliud producens argumentum Petrus, dicit, Lex ea requirit quæ homo præstare non potest, non legis quidem imbecillitate, sed uitio hominis, qui per peccatū ita est corruptus, ut legi nō possit satisfacere. Proinde si pergatis legē hominibus imponere ut necessariam ad salutem, hanc non modò dubiam reddetis, sed rem quoq; nō possibilem requiretis ab hominibus, atq; deū, ut dixi, tētabitis. Nam iugū legis neq; patres nostri neque nos portare potuimus. Equidem dominus in euangelio dixit ad Iudæos, Nonne Moses dedit uobis legem, & tamen nemo ex uobis præstat legem? Et Paulus scriptum reliquit, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Et iterum, Affectus carnis est inimicitia erga deum. Nam legi dei non subditur. Siquidem ne potest quidem. Et rursus, Quod lex præstare non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnē, hoc deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit. Ioan. 7. Rom. 3. Rom. 8.

Ita sanè nunc quoque suum negotium

concludens, & præcipuam propositionem repetens & inculcans S. Petrus, Sed per gratiam domini Iesu Christi, inquit, credimus nos seruatum iri: quemadmodum & illi. Communis utique & antiquissima iustificandi ratio illa est, quę fit gratia dei, uel per meritū Iesu Christi, & fidem in ipsum. Ergo gratia dei per fidem, non per legem seruati sunt patres electi dei omnes: eadem gratia per fidem non per legem aut per opera seruantur apostoli & seruabuntur omnes in finem usque seculi electi dei. Sic inquiã perspicue definita est per apostolum Petrũ quæstio quæ uertebatur inter Paulũ & pseudoapostolos, pronunciatũq; est pro Paulo cõtra pseudoapostolos: & quod pronunciatũ, id etiã euidentissimis rationibus & argumentis irrefutabilib. est cõprobatũ.

Omnes ueteris testamenti patres sanctos fide ex gratia Christi non per legem esse iustificatos.

Quod uerò apostolus Petrus perspicuis uerbis asseruit gratia domini nostri Iesu Christi, non apostolos duntaxat & omnes electos noui testamenti, sed omnes patres ueteris testamenti seruatos esse, idipsum ipse quoq; dominus Iesus affirmauit, cum in euangelio dixit, Abraham uidit diem meum, & gauisus est. Paulus quoque eundem Abra-

dem Abrahamum gratia dei per fidem Ie ſu Chriſti iuſtificatum eſſe, non per legem neque per opera, oſtendit in 4. cap. ad Ro manos & in 3. cap. ad Galat. Idem in po ſteriore ad Corinth. 4. cap. eundem fidei ſpiritum tribuit ueteribus & nobis. Et in epiſt. ad Hebræos 11. cap. commonſtrat om nes ſanctos patres fide placuiſſe deo. Et ite rum in priore ad Corinth. 10. cap. Omnes, inquit, patres noſtri eandem eſcam ſpiritu= alem comedebant, & omnes eundem po= tum ſpiritualem bibebant. Bibebant enim de ſpirituali quæ illos comitabatur petra. Petra uerò fuit Chriſtus.

Hæc clariſsima minimeq; dubia ſcriptu rarum teſtimonia, etſi piis in hac cauſa ſuffi cere poſsint, adſcribam tamen duo S. Au guſtini teſtimonia, hac eadem de re, pro pter illos maxime, qui calumniantur nos abuti illis ſcripturę teſtimoniis, ipſaq; alie= no & nouo ſenſu corrumpere. Extant Au= guſtini de hac re teſtimonia in 2. lib. con tra Celeſtium & Pelagium. Auguſtini hac de re teſtimonia.

Cap. 24. Vnus, inquit, eſt deus & u= nus mediator dei & hominum, homo Chri ſtus Ieſus. Quoniam non eſt aliud nomen

ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et in illo definiuit deus fidem omnibus ſuſcitans illum à mortuis. Itaq; ſine iſta fide, hoc eſt ſine fide unius mediatoris dei & hominum hominis Chriſti Ieſu, ſine fide inquam reſurrectionis eius, quam deus hominibus definiuit, quæ utiq; ſine incarnatione eius ac morte non poteſt ueraciter credi. Sine fide ergo incarnationis & mortis & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos iuſtos, ut iuſti eſſent à peccatis, potuiſſe mũdari, et dei gratia iuſtificari ueritas Chriſtiana non dubitat: ſiue in eis iuſtis quos ſancta ſcriptura commemorat, ſiue in eis iuſtis, quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt, uel ante diluuiũ, uel inde uſque ad datam legem, uel ipſius legis tempore, non ſolum in filijs Iſrael, ſicut fuerunt prophetæ, ſed etiam extra eundem populũ, ſicut fuit Iob. Et ipſorum enim corda eadem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per ſpiritum ſanctum: qui ubi uult ſpirat, non merita ſequẽs, ſed ipſa etiam merita faciens. Non enim dei gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo, &c.

Cap.

Cap. 25. Quamuis ergo nec lex per Mo
ſen data potuerit à quoquam homine mor
tis regnum auferre, erant tamen & legis
tempore homines dei, non ſub lege terren
te, cõuincente, puniente, ſed ſub gratia de-
lectante, ſanante, liberante. Erant inquam
qui dicerent, Ego in iniquitatibus conce-
ptus ſum, & in peccatis mater mea me in
utero aluit. Et mox, Ex ipſa fide dicebatur,
Ecce uirgo in utero accipiet, & pariet filiũ,
& uocabitur nomen eius Emanuel, quod
eſt interpretatum, nobiſcum deus. Et poſt
aliquot prophetarum commemorata teſti-
mõnia, Eodem, inquit, ſpiritu fidei ab il-
lis hæc futura uidebantur, quo à nobis facta
creduntur. Neque enim qui nobis iſta fide
li dilectione prophetare potuerunt, eorum
ipſi participes non fuerunt. Et unde eſt
quod dicit apoſtolus Petrus? Quid tenta-
tis deum, imponere iugum ſupra collum di
ſcipulorum: quod neque patres noſtri, ne-
que nos potuimus portare: ſed per gratiam
Ieſu credimus nos ſaluos fieri quemadmo
dum & illi: niſi quia & illi per gratiã domi-
ni Ieſu Chriſti ſalui facti ſunt, non per legẽ
Moſi, per quam non ſanatio, ſed cognitio

est facta peccatí? Nunc autem sine lege iustítia dei mafestata est, testificata per legem & prophetas. Sí ergo nũc manifestata est, etíam tũc erat, sed occulta. Et quæ sequuntur. Sí quis uerò & alia huius generis apud eundem Augustí. legere uelit, inueniet plura in Epistolis eius, sed & in 3. líbro contra duas Pelagian. epist. ad Bonifaciũ cap. 4.

De silentio in synodo Apostolica moderato. Vnde sit quòd Cõcilia nunc in annos aliquot extrahantur, quæ uetustas breui tempore potuit absoluere. Et de uera & falsa sapientia. CAP. XIII.

SEquitur in hístoría Lucæ nostrí,

Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Barnabam ac Paulum narrantes quæcunq́, Deus edidisset signa & miracula inter gentes per ipsos. Et postquam conticuissent, respondit Iacobus, dicẽs,

Moderatũ in Concilio silentiũ est seruãdum.

Multa ín præsentí paucis uerbís dícuntur, quæ cuílibet legítimo Concílio ímprimís uídentur esse non modò utília, sed maxímè necessaría. Tacuít, ínquít, tota multitudo, íd est uníuersa Eccleſía, quæ quídem tũc erat admodum copiosa. Tacuít autem, nec

nec quiſquam ex tam copioſo numero ſanctorum quicquã adiecit Petri iudicio, aut oppoſuit, quod ſimplici & breui ueritate à Petro expoſita perſpicuè, abundè ſatisfactum eſſet omnibus. Et ſi aduerſarijs Pauli nondum erat ſatisfactum, utpote qui poſt hoc Concilium Galatarum eccleſiam & alias nonnullas eccleſias perturbarunt, ita tamen euidenter iam erant conuicti ac confutati, ut nihil haberẽt reliquum, quod obijcerent, & pugnam nũc reſtaurarent. Tanta uidelicet eſt ſimplicis ueritatis uirtus. Neque ueriſimile eſt Apoſtolos patienter laturos fuiſſe, ſi perrexiſſent pſeudoapoſtoli contra tam diſertam ueritatem fucatas ratiunculas ſuas opponere. Proinde cum in Concilio de quæſtione aliqua controuerſa, Apoſtolica ſententia perſpicuè & euidenter fuerit reperta, pronunciata & definita, committendum non eſt, ut redundantibus logis, clamoribus importunis, tergiuerſationibus callidis, peruerſionibus artificioſis, uel detorſionibus Sophiſticis, aut iurgijs bilioſis, uel rixis interminabilibus, ſimplex ueritas inuoluatur, aut in dubium uocetur, & peruertantur omnia. Tacuit hic

uniuersa multitudo ad perspicuam & unicam Orationem Petri: obticescant ergo & hodie in synodis uociferationes Sophisticæ, obticescant denique quicunque ex affectu sinistro proferunt inania contra authoritatem Apostolicam & scripturarum argumẽta. Ioannes Chrysostomus, Nihil hic amplius, inquit, uel Ioannes, uel Apostoli (uno excepto Iacobo, cuius magna erat in gente Iudaica authoritas) loquunt̃, sed silẽt omnes, & nihil indignantur. Adeò puræ à uana gloria erant illorum animæ.

Pauci Apostoli pauca scripserunt.

Ita pauculi sanè Apostoli & discipuli domini quę prędicarunt, in libros, ut ea ad posteros transmitterent, scripserunt. Videntes enim omnia in pauculis illis, quæ scitu & ad salutem necessaria sunt, abundè comprehensa esse, uoluerunt eandem rem cum lectorum molestia repetere. Etenim sufficit Ecclesiæ Christi, quod Apostoli & Euangelistæ summas rerum, & id in quo uertitur cardo salutis nostræ, diligenter & copiosè satis explicarunt, tametsi non singula saluatoris omniaq; annumerarũt uerba, aut singulas persecuti sunt rerum teper sonarum circunstantias. Dum enim eiusdem

dem rei aliquot dogmata, & exempla aliquot earum rerum, quæ ignorari non possunt, citra salutis dispendium, expoſuerunt, nihil præterea requirit homo pius, sapiens & diligens. Isaias dixit temporibus Messiæ uerbũ abbreuiatũ fore reuelandũ. Sed et apostoli domini, pijs lectoribus molesti esse noluerũt uastis codicibus. Quod si plurima & omnium aliorum apostolorum scripta haberemus (si modo plura scripserunt aut ediderũt) non haberemus certè plura, quam nunc habemus, quantum uidelicet attinet ad substantiam fidei & ueritatis. Possemus hoc demonstrare, si quis ad dubitet, exemplo quatuor euangelistarum qui pulchre in re eadem congruunt: & exemplo apostolicarum epistolarum, quæ omnes eadem de re uarie sunt conscriptæ. Eandem enim rem subinde tractant atque inculcant. At annotassent uel uerbis aliquot eas etiam res, quas putauissent (si quę fuissent) ad salutem nostram esse necessarias, Nunc uerò nihil annotarunt.

Cum uerò in Conciliis dogmata & res necessariæ aperte & quantum satis est expositæ sunt, quorsum obsecro attinet ean-

Vnde fit quod in annos etiã aliquot extendantur Concilia.

dem rem recte, aperte, & commode semel propositam, rursus proponere, tractare & retractare uelle: nisi ut sumptus Concilij conduplicentur, & tempus extrahatur prolõgetur ue & perdatur. Peccatur hic à multis grauiter & multipliciter. Dum enim alius uult ostentare uariam suam eruditionem & authorum lectionem, nec non orationis elegantiam, gloria sanè dei non quæritur, sed caro per inanẽ gloriam inflatur. Dum item alius uult commonstrare se consequutum esse uariam linguarum gratiam, incipit mox uellicare & carpere aliorum uersiones ex Hebræo uel Græco, alioqui non indiligẽtes, sed & tolerabiles, non necessarię seruntur & proueniunt concertationes. Denique cum tertius & quartus aliquis, natura facundus, & uaria eruditione utcunque tinctus nullum garriendi finem facit, & acutus aliquis Sophisticoq; præditus ingenio, non cessat argumenta in nodos colligare Gordios, & ab alijs minus dense connexos extricare, sed & pro & cõtra (sicut rixatores illi intricati & ostẽtatores inflati dicere solent) disputare, implicantur sanè & obscurantur res ipsæ, & simplicio-

simpliciores ancipites in dubijs, & in ueris nihil cõfirmati, imò magis perturbati à Cõcilio redeunt quàm ad ipsum uenerant: & si typis excudantur, tã sunt uaria, intricata, & prolixa, ut pauci aut nulli ullo cum fructu legant. Ac negari non potest, in multis Concilijs hisce in rebus grauiter esse peccatum, & peccari uel hodie in multorum synodis & disputationibus.

Præterea libido illa garriendi & prurigo rixandi & disputandi, maligna item tarditas explicandi res controuersas, & dilatio rerum omnium insidiosa, facit ne anni aliquot sufficiant finiendo uno aliquo Concilio. Nihil nunc dico de pompa, luxu, superbia, opum ostentatione, ludis & eius generis uanitatibus, quibus magnates bonam partem temporis indignissime perdunt. Non solebat ita facere laudata & sancta uetustas. Ideoq; intra tempus breuissimum uberrimo cum fructu & maxima cũ felicitate, res maximas in Concilijs absoluebat. Quærebat illa deum & ueritatem eius, moderatis & sanctis animis instructa erat, propositumq; habebat bonum & pacificum. Quis neget maximum fuisse quon-

Vetustas sua Concilia breui tempore feliciter absoluebat.

dam Carmelitanum Concilium, & de re omnium maxima & præcipuo religionis capite, An solus deus sit colendus, an simul cum ipso aut Baal, aut aliæ creaturæ sint colendæ & inuocandæ, congregatum? At potuit hoc intra paucos absolui dies. Iosias quoque rex Iudæorum sanctissimus celeberrimam & maximam congregauit synodum de reformatione religionis totiusq; regni incolumitate institutã. Verùm cùm solum librũ legis proponeret, & illius iudicia definitionemq; sequeretur per omnia, humana iudicia maiorum, & leges exemplaq; hominum nihil moraretur, sed & ea quæ mãdabat in lege sua dominus, diligentissimè & absque mora exequeretur, paucos intra dies & finita est illa synodus, & optima reformatio inducta est in regnum ad pacem & salutem omnium. Et ut nihil dicamus præterea de alijs huius generis Concilijs pluribus, an non hoc Hierosolymitanum, & Apostolicum nostrum Concilium intra paucos dies finitum esse credimus? Quid ergo? Sequamur in omnibus uerbũ dei. Instituamus omnia ad regulam illius, nihil tribuentes exemplis, consuetudinibus,

dinibus, legibusq; hominum interminabilibus, & mutuò sibi repugnantibus & irreconciliabilibus. Exequamur item obdienter ea quæ ex uerbo dei uel reijcienda, uel erigenda, uel substituenda aut confirmanda didicimus: ac sentiemus etiam nunc nostra Concilia intra paucos dies uel menses, & moderatis non inæstimabilibus expensis absolui, & quidem feliciter absolui posse. At inuenias plurimos, qui cōpendium oderint, ac nolint synodum intra paucos absolui menses. Illi ipsi non quærunt simplicem ueritatem, sed illud, quod semel amplexi sunt, licet hoc non ignorent pugnare cum scriptura sancta, omnino tamen defensum & confirmatum cupiunt, ideoq; uaria impedimenta obijciunt, & facilia difficillima reddunt. Contraria his omnia inueniuntur in synodo Apostolica, cui si qui conformes se reddere uolunt, ea quæ Christi ueritatis ecclesiæ & pacis sunt quærent, neque suis se affectibus regendos dabunt, sed spiritui dei & uerbo eius.

Signa & miracula exponunt Apostoli.

Rursus uerò aperitur locus dicendi Barnabæ & Paulo, qui non inutiliter & extra propositū signa & miracula, quæ deus per

ipsorum ministerium ediderat, exponunt. Faciebat enim illa narratio pro explicatione quæstionis propositæ in Cõcilio, & pro confirmatione ueritatis: sicut monui in capite 9. huius libri. Cùm uerò exposuissent miracula illa, iterum tacuerunt. Modum enim in proponendo loquendoq; adhibuerunt, paci denique & tranquillitati studuerunt: omnibus in synodos ueniẽtibus exemplum præferentes. Sed & Iacobus Apostolus nõ loquitur quicquam, donec isti conticuissent: neque rixatur, neque bene dicta à Petro uellicat aut peruertit, sed adstruit, & ut cõcordia in ecclesia stabilis maneat, salutare; sufficit consilium. Ex quibus omnibus discere licet, quæ sit uera sapientia ad Concilium uenientibus necessaria, & quæ sit sophistica, ex omnibus legitimis Concilijs excludenda. De utraq; illa idem ille Iacobus Apostolus in epistola sua eleganter & utiliter differens, Quis, inquit, sapiens & scientia præditus est inter uos? ostendat ex bona conuersatione opera sua cum mansuetudine sapientiæ. Quòd si inuidiam amarã habetis, & irritationem uel contentionem in corde uestro, nolite gloriari

Quæ sit uera, quæ falsa sapientia.

riari & mendaces esse contra ueritatem. Non est enim sapientia superne descendēs, sed terrena, animalis, dæmoniaca. Vbi enim inuidia est & irritatio uel contentio, ibi seditio & omne opus prauum. Quæ autem è supernis est sapientia, primùm quidem casta est, deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordia, & fructibus bonis, absque dijudicatione uel disquisitione, sine simulatione. Fructus autem iustitiæ cum pace seritur pacificis.

Oratio beati Iacobi apostoli, qua approbat sententiam S. Petri de uocatione gentium gratuita, & fide absque lege iustificante.

CAPVT XIIII.

SEd uideamus iam sapientissimam beati Iacobi apostoli orationem. Sic ille loquebatur.

Viri fratres, audite me, Simeon narrauit quemadmodū Deus primū uisitauerit, ut sumeret ex gēti bus populum nomini suo. Et huic consonant uerba prophetarum, sicut scriptum est, Post hæc reuertar, & rursus ædificabo tabernaculum Dauid collapsum: & ruinas eius reædificabo, & erigam illud, ut requirant qui reliqui sunt homines Dominum,

& omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum: dicit Dominus, qui facit hæc omnia. Nota ſunt Deo ab æterno omnia opera ſua. Quapropter ego cenſeo non obturbandum eſſe illis, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, ſed ſcribendum ad eos, ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum, & ſcortatione, & ſuffocato & ſanguine. Moſes enim ab ætatibus antiquis in ſingulis ciuitatibus habet qui ipſum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur.

Quis ille Iacobus fuerit.

Catena ueterum Græcorum interpretum recte nuncupat hũc Iacobum apoſtolum & fratrem domini. Nam ita etiam appellatur à beato Paulo ad Galatas. Vnde non eſt quod alium hic nobis fingamus Iacobum, non apoſtolum quidem illum Iudæ Lebbei fratrem, ſed neſcio quem diſcipulum & antiſtitem Hieroſolymitanum. Nam ueteres quoq; teſtantur Iacobũ hunc apoſtolũ inſeruiſſe eccleſiæ Hieroſolymitanæ eiuſq; fuiſſe epiſcopum. Maxima uerò cum eſſet huius apud Iudæos & omnes pariter credentes authoritas, certo Concilio et magno cum fructu, ſuam quoq; de re controuerſa apponit ſententiam, quę pluri

mum

mum sanè faciebat ad pacificandam ecclesiam. Est autem Oratio eius habita in Concilio bipertita. Altera enim parte Petri sententiã non modò probat per omnia simpliciter, sed eandem etiã cõfirmat testimonio prophetico. Altera uerò parte consilium salutare sufficit, quomodo pax inter Iudæos & gentes, alioqui dissentientes ac irritabiles constitui & conseruari possit. Et ut Petrus Apostolus nulla usus est operosa & lõgè petita præfatiõe, magnificis titulis splendente: ita & beatus Iacobus exordio utitur humili & modestissimo simul & breuissimo. Dicit enim, Viri fratres, audite me. Quo si quid breuius & modestius dici possit, non uideo. Discant ergo ab Apostolis succinctè & utiliter loqui in synodis, qui alioqui assuescunt sine omni utilitate, adde & magna cum molestia auditorum plurima arte composita exornataq; profundere uerba, ut magis Demosthenici & Ciceroniani quàm Apostolici esse uideantur.

Breuitas & simplicitas in dicendo.

Ac prima quidem in parte orationis cũ S. Petri sententiam sibi approbari placereq; & rectam uel ueram esse testari uellet Iacobus, Petrum nuncupat Simeonem,

Simon & Simeon Petrus.

Vbi nemo ſibi imaginabitur (quod tamen nonnulli interpretes feciſſe leguntur) mentionem eius Simeonis fieri, qui in euangelio ſecundum Lucam in ulnas ſuas dominum ſuſcepiſſe legitur. Nam conſtat ex hiſtoria euangelica & ex inſcriptione poſterioris epiſtolæ Petri, eundem Petrum nominatum fuiſſe, & Simonem Petrum, & Simeonem Petrum. Repetit autem S. Iacobus paucis uerbis quæ D. Petrus dixerat de uocatione Cornelij & ſuorum ad Chriſtū per Euangelium, ac dicit, Simeon narrauit quemadmodum deus, &c. Quorum uerborum hic uidetur eſſe ſenſus, Expoſuit Petrus quomodo ab initio prædicati inter Iudæos Euangelij deus miſericordia ſua reſpexerit (hoc enim intelligit per uiſitandi uocabulum) gentes, quas aſſumpſerit in eccleſiam ſanctam, uoluerit̃q; eas inſigniri & nuncupari nomine ſuo, nimirum dici Chriſtianos, reputariq; in numero populi ſui. Huic repetitioni de uocatione gentium, attexit iam Iacobus teſtimonium prophetæ Amos petitum ex cap. 9. Quo probare uult uocationem gentiũ eſſe à deo, adeoq; hoc quod Petrus factum cum

genti

gentibus narrauit, deum per prophetas ita futurum prædixisse. Quanquam ergo Petri Apostoli expositio per se satis haberet authoritatis, uoluit tamen Iacobus adiungere scripturæ diuinæ testimonium, ut si quid adhuc nonnihil fluctuarent, scripturæ testimonio cõfirmarent, & de re proposita nihil prorsus addubitarent. Nã ipse Petrus tametsi cõpertissima certissimaq; de Christo & eius euangelio retulisset in 2. sua epistola, nihilominus tamen, Et habemus, inquit, firmiorem propheticum sermonem: cui dum attenditis, ceu lucernæ in obscuro loco apparenti, recte facitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris, &c. Prophetas uerò pluratiuo numero dicit Iacobus cum unius modò prophetæ testimonium adducat. Sed cum omnes alij prophetę cum hoc unanimiter consentiant, recte pluratiuo numero prophetas dixit.

Cur expositioni aliàs firmę adiungatur scripturæ testimonium.

Testimonium Amos in ueritate Hebraica sic legitur. In die illa suscitabo tabernaculum Dauidis collapsum, & integrabo rupturas eius, & subuersiones eius erigam, & ædificabo illud, sicut diebus antiquis: ut

Exponitur testimonium Amos prophetæ.

possideant reliquias Edom, & omnes gentes super quas inuocatũ est nomen meum, dicit dominus, qui facturus est illud. Hoc LXX. interpretes, Hieronymo interprete, sic uerterunt. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod ceciderat, & ædificabo ea quæ corruerant, & quæ suffusa sunt suscitabo, & instaurabo ea, sicut dies antiquos, ut quærant me reliqui hominum, & omnes gẽtes super quas inuocatum est nomen meum: dicit dominus, faciens hęc omnia. Ex quibus intelligis beatum Iacobum adduxisse testimonium hoc, non uerbotim quidem, neque secundum ueritatem Hebraicam, neque iuxta LXX. uersionem, sed sensu tamen integro: ut hic rei nihil decedat. Neque enim superstitiose uerbis inhærendum in citatione testimoniorum propheticorum existimarunt apostoli, modò sensui nihil decederet, nihilq; in sententia mutaretur. Locus prophetæ omnino intelligendus est, quemadmodum & Iacobus interpretatur, de Christo & eius ecclesia, & non de Dauide & regno Iudaico, quod adeò nõ subiecit sibi Edomitas, ut rex Idumæus potius, Herodes ille magnus, eis sit

impositus

impoſitus à Romanis. Neque nouum eſt Chriſtum appellari Dauidē. Ita enim nuncupat illum diſerte beatus propheta Eze- Ezech.34.
chiel. Et quidem in euangelio ſemper appellatur filius Dauidis. Tabernaculū quoque Eccleſia rectiſsime nuncupatur. Qui enim habitant in tabernaculis, incertis oberrant ſedibus. Ac eccleſia uaga eſt in hiſce terris. Et quidem collapſa uel corrupta admodum erat paulò ante Chriſti tempora traditionibus Phariſęorum. Veniens ergo ille in mundum, reparauit eccleſiam ſuam. Vocauit autem etiam non Idumæos tantùm, ſed & omnes gentes in conſortium populi ſui, uoluitq; ut ſuo nomine Chriſtiani ac filij dei uocarentur. Vbi obſeruādum eſt prophetam dicere, Requirent gentes dominum. Cum autem fide deus requiratur, (iuxta illud apoſtoli, Oportet accedentem ad deum credere) nec ulla hic mentio fiat circumciſionis aut legis, pulchre congruebat hic locus negotio aut propoſito apoſtolico, quod erat, fide, non lege, gentes iuſtificari.

Cum uerò deus præſciuerit plures huic ſuo conſilio obmurmuraturos, appendit

propheta, Dicit dominus qui facit hæc omnia. Non alijs demonstrationibus, quibus nobis factorum suorum deus rationẽ reddat, opus est. Cum enim uerax, bonus, iustus, & æquus sit, qui nec peccare possit, nec ulli irrogare ullam iniuriam, satis rationis est quod facit aliquid. Si enim aliquid facit, recte sane hoc facit. Noli ergo curiosius perquirere, cur gentes idololatras uocet ad euangelij gratiam & purget corda ipsorum fide, non circumcisione, aut operibus legis alijsue legalibus. Ad illustrãdam hanc rem addit etiam de suo Iacobus, Nota à seculo, uel ab æterno, sunt deo omnia opera sua. Nouit deus, qui ab æterno omnia præuidit, & recte singula instituit, cur hoc faciat ad hunc modum, aliud alio modo: hoc aut illud uerò non faciat. Et cum omnia opera eius, quæ fecit à seculo deus, sapientissima sint, optima simul & iustissima, ut nemo illa possit accusare: cur accusaremus gratuitam gentium uocationem? Agnoscamus quod recte per fidem non per legem purgat corda ethnicorũ electorũ suorum.

His iam infert, Quapropter ego (Ireneus lib. 3. cap. 12. addit, Secundum me, id est,

est, quod ad me attinet) censeo, illis qui ad deum conuertuntur ex gentibus non obturbandum esse aut imponendum iugum legis, siue non addendam molestiam. Græce enim dixit, μὴ παρενοχλεῖν, quod uetus interpres reddidit non inquietari. Irenæi interpres legit, non molestari eos. Nam in epistola mox dicent, Visum est, ne quid imponeremus uobis oneris. Ita apertissimè subscribit Iacobus Petro, qui dixerat iugũ legis, quod neque patres neque ipsi potuissent portare, minimè imponendum esse fidelibus ex gentilismo conuersis ad Christum. Et habet in hoc Concilio Apostolico perspicuum testimonium Ecclesia dei de abrogatione legis. De qua fusius dixi in nostris Decadibus. Hactenus uerò exposui priorem partem Orationis beati Iacobi.

Consilium dat beatus Iacobus de pace & concordia inter Iudæos & Gentes constituẽda & conseruanda, & qua ratione quædã gentibus prohibere uoluerit. CAP. XX.

SEquitur iam altera siue posterior pars Orationis beati Iacobi, qua consiliũ dat salutare, quomodo pax uel cõcordia inter Iudæos & gentes componi & conseruari

Inimicitiæ inter Iudæos & gẽtes.

posſit. Nam graues alioquí erant per initia Euangelíj inimicitiæ & ſimultates inter Iudæos & gẽtes, adeò ut cùm beatus Petrus acceſſiſſet Cornelium, & ei prædicaſſet Euãgelium, redíjſſet autem Hieroſolymam, illi, qui erant ex circunciſione, ipſum adorirentur, expoſtularentq; ac dicerent, Adiuros pręputium habentes introíjſti, & edíſti cum illis. Quod ſanè ut grande & inexpiabile ſcelus ipſi obíjciebant. Exiſtimabãt enim Iudæi ſe ſolos eſſe dei populum electum & ſanctũ, gentiles habebant pro profanis atque pollutis, quorum conſortio ipſi polluerentur: atque adeo uidebãtur etiam eis ſingulari illo odio ſuo inuidere ſalutem. Iccirco Apoſtoli hoc unicè cauerunt, ne grauius & longius ab inuicem auellerentur, ſed ſubinde magis magisq; in unius corporis eccleſiaſtici ſocietatem conglutinarentur, & ne gentes contemnerent Iudęos, cùm eſſent ſanctis prognati patribus, & haberẽt promiſſiones: Iudæi rurſus non execrarentur gentes, de quarum uocatione in prophetis tam illuſtria extarent teſtimonia. Eodem nunc propoſito beatus Iacobus, qui erat circũciſorum propríus Apoſtolus

Iacobus Apoſtolus circũciſionis.

postolus, præsens dat cõsilium. Etenim ne gentes sublatam esse legem audientes, protinus existimarent sibi quiduis licere, & libertate sua abuterentur, Iudęosq; fratres & contemnerent & scandalizarent cõtra charitatem, Iacobus dicit, Sed scribendum ad gentes censeo, ut abstineant se ab inquinamentis uel à contaminationib. simulachrorum, & scortatione, & suffocato & sanguine. Eum locum Irenęus loco superius commonstrato ita legit, Sed præcipiendum eis, ut abstineant à uanitatibus idolorum, & à fornicatione, & à sanguine: & quæcunque nolunt sibi fieri, alijs ne faciant. Omisit suffocatum, & adiecit sententiam Domini Iesu, Omnia quæcunque uolueritis ut faciãt uobis homines, eadem facite illis, &c. Habet eadem illa Complutensis Codex: sed plerique codices Græci non habent: neq; habet ea uersio uulgata.

Prohibẽtur idola & idolothyta.

Porrò erant primis illis Euangelij temporibus non pauci ex gẽtibus conuersi ad Christum, qui arbitrabantur non illicitum esse homini Christiano ingredi templa, ubi prostabant & colebantur idola, sacrificabatur item, & exhibebãtur epulę. Imò si quis

ad epulas illas in idoleo inter gentes sacrifi
cãtes & epulantes assedisset, & de idolothy
to, id est de eo quod immolatum erat ido-
lo, comedisset, nihil ex hoc uitij aut culpæ
sibi contrahere asserebant: eo quòd unus
tantùm esset deus, dij uerò illi fictitij, quos
referunt idola, nihil essent, & proinde sa-
crificia quoque quæ fiebant rebus nihili, ni
hil obesse possent fidelibus, ac iccirco licita
esse omnibus. At beatus Iacobus sicuti &
S. Paulus in 1. ad Corinth. 8. 9. 10. cap. dis-
putat, prohiberi uult gẽtibus ad Christum
conuersis simpliciter & idola & idolothy-
tã. Hic enim idolorum manifestè meminit
in epistola synodali mox idolothytorum.
Ac uerisimile est gentes ad Christum con-
uersas, uehemẽter adhuc adfectas fuisse ad
idola: quæ Iudæi hoc tempore totis animis
execrabantur. Vnde oportuit omnem ido
lorũ usum prohiberi gentibus. Quod cùm
ita sit, colligimus inde Christianos ne hodie
quidem quicquam commercij habere de-
bere neq; cum simulachris ipsis, neq; cum
ijs, quę immolata sunt simulachris. Et dum
Iacobus simulachris cõtaminationem ad-
dit, ad legem alludit, & effectũ proprium
simu-

Conversi ad christũ & idola & idolothyta simpliciter prohibita sunt

Christianis totis abstinendum est ab idolorum commercio.

ſimulachrorum oſtendit, quæ utique uten
tes iſs & habentes ea, coinquinant. Deut. e=
nim 7. ita legis, Sculptilia deorũ ipſorum
igne combures, argentum & aurum quod
in illis eſt non concupiſces, ut tibi tollas, ne
forte impingas in illo. Quoniam abominã=
da eſt res domino deo tuo. Ne ergo inferas
abominationem in domum tuam, ne fias a=
nathema quemadmodum & illud eſt. Et
reliqua. De imaginibus dictum eſt aliàs.

Adiungit idolis & idolothytis fornica= Prohibetur ſcortatio.
tionem uel ſcortationem. Tulerunt ſane
gentiles contra adulteria & ſtupra leges,
quas hodie adhuc in Codice Iuſtiniani cer
nere licet: ſed fornicationem quam ſim=
plicem uocant, ſoluti cum ſoluta, leue aut
nullum omnino delictum eſſe iudicabant.
Hinc ubique inter gentes, in Græcia, Ro=
mæ & alibi templa Veneri aperiebantur.
Hinc Mitio ille apud Comicum, Non eſt
flagitium, inquit, adoleſcentem ſcortari.
Proinde Iacobus ſicuti & Paulus in 1. ad
Corinth. 6. cap. & in 1. ad Theſſal. 4. cap.
requirit à fidelibus ſanctum corporis uſum
alienum ab omni immunditia & fornica=
tione. Tertio loco coniunguntur ſuffoca

Suffocatum & sanguis prohibentur.

tum & sanguis, Vsus aut esus horum seuerissime prohibitus est in lege. Nam Noe mox à diluuio, dum sacrificasset domino, præcipitur à deo, ne suffocatum edat, & dicitur, Carnem cum anima eius (quæ est) sanguis eius, non comeditis. Et rursus Leuit. 17. interdicens esu sanguinis dicit dominus, Quicunque è domo Israel comederit ullum sanguinem, ponam faciem meam in animam comedentem sanguinem, & excidam eam è medio populi sui. Quia anima carnis in sanguine est, &c. Ac uoluit deus hac tam stricta lege cædes prohibere, ne dum assueti esui sanguinis animantium, minus abhorreremus ab effundendo sanguine humano. Vnde Gen. 9. legi subijcitur, Quicunq; effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis eius. Rursus cum in lege dicatur, Ego dedi uobis sanguinem super altare, ad expiãdum animas uestras. Quia sanguis ipse animam expiabit, commendauit nobis illa lege spiritus sanctus sanguinem Iesu Christi omnium pretiosissimum in ara crucis oblatum, prohibens ne illum edant homines, id est ne sibijpsis expiationem tribuant & operibus humanis pu-

nis putent se redimi. Solius enim sanguinis Christi illa uirtus est. Alibi tamen in euangelio è contra mandatur nobis, ut filij hominis sanguinem bibamus: sed spiritualis est iste potus: sicuti alibi dictum est.

Quare hæc prohiberi uoluerit Iacobus gentibus.

Post hæc reddit rationem beatus Iacobus, cur ista mandari uelit gentibus, nimirum quod lege Mosis prohibita sint seueríssime. Mosen uerò habere in singulis urbibus & castellis, ubi Iudęi habitabant, professores, qui leges illas urgeant, idoeq; offendantur grauiter, si uideant gẽtes tam licenter uti rebus tanta cum seueritate prohibitis. Legum itaque reuerentia & lege charitatis, ne offendiculo sint gentes Iudæis, uoluit illas abstinere ab istis.

Sed solet interrogari, An recte suaserit Iacobus ista prohiberi gentibus? & An leges sint perpetuæ? Dicimus autem Iacobum rectíssime suasisse, quod maxime faciebat ad charitatem & concordiam inter Iudæos & Gentes cum conciliandam tum conseruandam. Ac debebant quidem gentes Iudæis plurímum, Sicut non semel hoc in epistolis suis ostendit apostolus Paulus, ut mirum non sit, si propter eos ad tempus

abstinuerunt à sanguine & suffocato. Nam in capitibus illis prohibitis discrimen est non paruum. Duo enim priora, idolauide licet & fornicatio perpetua lege prohiben tur. Pertinent enim ad legem moralem. Et de nouo ueluti nunc prohibentur gentibus quod nunc ex gentilissmo uenientes, nimium in his sibi permitterent. Cæterùm suffocatum & sanguis prohibita sunt ad tempus: quo aliquid dandum aut deferendum huic genti ex charitate recte existimarunt. Et quanquam ueteres Christiani seculis aliquot, ab ætate apostolorum abstinuerunt à sanguine, nihilo minus tamen apostolus Paulus, liberum eius omniũq; promiscue ciborum usum manifeste ostendit, & hoc negotium pulchre illustrat, dum inter alia, & quidem post annos aliquot ab hoc Con
Rom. 14. cilio Hierosolymitano, ad Roman. sic scriptum reliquit, Noui & persuasum habeo per dominum Iesum, nihil esse commune per se, nisi ei, qui existimat aliquid esse commune, illi inquã commune est. Verum si propter cibum frater tuus cõtristatur, iam non ambulas secundum charitatem. Noli cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est.

tuus est. Ne blasphemetur ergo uestrũ bonum. Etenim regnum dei non est cibus & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Etenim qui per hæc seruit Christo, acceptus est deo, & probatus hominib. Itaque quæ sunt pacis sectemur, & quæ ædificationis alius erga alium. Proinde nemo hodie peccat, qui uescitur sanguine & de animante suffocato. Nam gens illa & offensio sublata sunt, propter quæ ad tempus receptum fuit illud mandatum.

Leges in Cõciliis dictare nouas

Neque debent sibi hic placere, qui leges uarias dictant in Conciliis, & seruãdas portandasq; imponunt humeris fidelium. Cogitent quòd hæc, quæ hic prohibentur, fuerunt olim lege dei prohibita, & quod modò ex illis quædam ex charitate & ad tempus retenta. Cogitent denique, quod idem hic Iacobus unà cum alijs Apostolis in epistola mox sequente manifestè profitetur, se nihil præterea oneris uelle imponere fidelibus. Cessent itaq; illi uarijs legibus libertatem opprimere fidelium. Et ut maximè leges hic dictarint Apostoli Ecclesiæ, ideo tamẽ non sequit̃ id ipsum posse etiã episcopos in synodis. Non enim episcopis licet

quod licuit Apostolis. Apostoli quidem fuerunt & ipsi homines, sed quod fecerunt in administratione ecclesiæ, non ut homines, neque humana authoritate fecerunt, sed sicut Apostoli diuino spiritu instructi, magistricq; ecclesiarum emissi à domino. Ergo cùm in præsenti leges condunt Apostoli, ex diuina hoc authoritate agunt. Ita cùm Paulus uelum imponit mulieribus, & has iubet tacere in ecclesia, cumq; beatiores uocat cœlibes, totum hoc & alia his similia dicit & facit, sicut Apostolus Christi spiritu dei instructus, & cum potestate missus. Nam 1. ad Corinth. 7. cap. Beatior est uidua, inquit, si sic maneat, iuxta meam sententiam. Opinor autem quòd & ipse spiritum dei habeam. Scio hic eundem Apostolum dixisse, Qui spiritum dei nō habet, hic non est eius, & iccirco fideles non destituí spiritu dei. Alia tamen fuit operatio spiritus in Apostolis, alia est in nobis. Datus est illis liberaliter, & quidem sicut ecclesiæ Christi doctoribus, ut eam instituerent legibusq; munirent. Instituta autem iam plenè ecclesia, iubentur episcopi ipsam secundum doctrinam Apostolicam gubernare,

Rom. 8

non

nõ autem nouis legibus onerare & perturbare. Et huc uidetur pertinere quod Apostolus Paulus ad Timotheum scribens, dixit, Hæc scribo sperans fore, ut ueniam ad te citò: quòd si tardius uenero, ut noris quo modo oporteat in domo domini uersari, quæ est ecclesia dei uiuẽtis, columna & basis ueritatis, &c. 1. Timoth. 3.

Hæc uerò hactenus dixi de Concilio, imò tota Oratione beati Iacobi. In qua illud diligenter obseruabunt, qui in Concilia uocantur ad consultandum de synceritate doctrinæ, de reformatione item & concordia ecclesiæ, ut quemadmodum beatus Iacobus euulsis radicibus dissidiorum offendiculis, & charitate commendata, concordiã reduxit, & eandem in ecclesia conseruari uoluit: ita isti quoque medicina eadem similibus medeantur ecclesiæ morbis, seduloq; inuigilent & Apostolicæ doctrinę puræ euocendæ, & tollẽdis pariter ex ecclesia dissidijs & offendiculis omnibus.

Pulcherrimus fuit in Ecclesia Apostolica consensus. Et quomodo statuta sua accõmodarint ad utilitatem salutemq; afflictæ Ecclesiæ.

CAP. XVI.

ILlis subiungitur à Luca in Actis Apostolorum.

Tunc placuit Apostolis & senioribus cum tota Ecclesia delectos ex sese uiros mittere Antiochiam, cum Paulo & Barnaba, Iudam cognomento Barsabam, & Silam, uiros primarios inter fratres: & ista per manus eorum (mittenda) *scribere.*

Pulcherrimus in ecclesia Apostolica consensus.

Ante omnia obseruandum est unanimiter & pulcherrimè uniuersam ecclesiam in eaconsensisse, quę propositа fuerunt ab Apostolis Paulo, Barnaba, Petro & Iacobo. Laudandus & optandus est consensus in omnibus rebus bonis & ueris, maximè uerò in doctrina ecclesiæ & rebus ecclesiæ omnibus. Ac consensio hæc ecclesiæ Apostolicæ eximiè commendat nobis rem ipsam uel doctrinam, in quam omnes tam feliciter consenserunt fide uel gratia, non circunciſione aut lege seruari credentes: legem item abrogatam esse fidelibus: & fideles abstinere debere ab his, quibus polluuntur, & quibus charitas & concordia sancta uiolatur. Tametsi itaque diuersa omnibus propè seculis dissidia, & graues de his con certa-

certationes fuerint inter Christianos, pluris tamen facienda est prima illa apostolicæ consensio ecclesiæ, quam offendere aut remorari in cursu pietatis illa hominũ certamina debeant. Præteritis enim omnibus omnium hominum altercationibus, teneamus illa in quæ hic tanto consensu conspirauit apostolica & primitiua ecclesia.

Nec̃ oscitanter legendum est, quod Lucas ordine recenset apostolos & presbyteros, quibus mox coniungit totam ecclesiã. Sub nominibus apostolorum & presbyterorum comprehendit omnis ordinis ministros. Neque enim incognita hic esse potest Paulina illa uulgatissima sentẽtia: Christus dedit ecclesiæ suæ alios quidem apostolos, alios uerò doctores, alios autem euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi. Nec̃ dubium est, quin ut in Antiochena ecclesia leguntur fuisse prophetæ & doctores, unà cum apostolis, ita & in Hierosolymitana ecclesia omnis generis ministri fuerint. Cæterum nec hi quidem soli fuerunt ecclesia, neque hi soli, alijs fidelibus, qui sunt ecclesiæ

Non soli apostoli sunt ecclesia.

Ephes. 4.

I

membra, uel repudiatis aut exclusis, res tractarunt & concluserunt ecclesiasticas, sed unà cum alijs fidelibus sunt ecclesia, & de rebus ecclesiæ consultarunt atque concluserunt. Id quod Lucas perspicue significare uolens, dixit, Tunc placuit apostolis & senioribus, uel presbyteris, cum tota ecclesia. En cũ tota, inquit, ecclesia. Et mox in ipsa synodali epistola adiungunt apostolis & presbyteris fratres, nimirum fideles apostolorum auditores, quos supra dixi, ab initio discipulos & fratres, Antiochiæ primùm nuncupatos esse Christianos. Discant ergo Episcopi ecclesiarum ministri non omnem sibi in synodis potestatem definiendi uẽdicare & maiorem ecclesiæ partem excludere.

Quomodo apostoli decreta sua applicarint ecclesiæ.

Præterea ostendit nobis Lucas in his, quæ modò recitauimus, quomodo apostoli cum ecclesia, id quod concorditer definierunt ad utilitatem ecclesiæ, in qua certamina exercerant, accomodauerint, quin & ad salutem omnium ecclesiarum euulgarint. Neque enim satis est bene consultasse & salubria decreuisse, nisi hoc etiã quod bene consultatum & salubriter decretum est, in

est, in salutarem usum uel effectum producatur. In qua re perficienda prudentes homines non postremam collocant diligentiam. Etenim si disputetur utiliter & res bona decernatur, retineatur autem illa inter parietes & pauculos aliquot conscios, aut recludantur acta in arcam, quis obsecro bonæ rei bonus usus esse poterit? Euulgentur itaque in populum publicè, quæ ad populi utilitatem consultata sunt atque decreta. Si de modo quæris, quomodo uulgari queant, inspice exemplum primitiuæ ecclesiæ, quod nobis in præsenti beatus Lucas contemplandum exhibet. Visum est apostolis & senioribus cum uniuersa ecclesia legatos, uiros delectos Antiochiam, ubi certamen maxime exarserat, mittere cum Paulo & Barnaba, & per manum, id est per ministerium istorum, mittere etiam literas. Duo itaque sunt, per quæ bene decreta commode publicari possunt, per legatorum & literarum missionem. Summam decreti uel consulationis uel Actorum synodaliũ in literas retulerũt apostoli, & in literas quidem non prolixas, sed breues admodum. Eas uoluerunt uiua uoce per lega

tos illustrari, ita tamen, ut non aliena ab ijs, quæ scripta erant, dicerent, sed eadē: tantum abest ut quod ipsis bonum uidebatur, proponere liceret. Relinquunt autem omnibus per omnia secula celebrandis Concilijs illustre exemplum, quid & ipsa in medicandis ecclesiarum morbis, dissidijs, altercationibus & corruptelis faciant. Conscribant enim literas breui compendio decreta apostolica continentes, addāt his prędicatores, qui scripta fideliter explicent, suo interim arbitrio nihil indulgeant, & hos mittant ad ecclesias perturbatas.

Excellentissimi uiri deputati sunt legationi.

Rursus uerò annotādum uidetur, quod non mittunt quoslibet, sed imprimis Paulum & Barnabam, eos inquam, cum quibus certamen susceperant pseudoapostoli. Imprimis enim hos mitti conueniebat Antiochiam, ubi docuerant & cum pseudoapostolis pugnauerāt, indeq; ab ecclesia missi fuerant Hierosolymam, ut inde redeūtes in Antiochænam ecclesiam, ueræ incorruptæq; suæ doctrinæ testimonium ferrent. Ideoque non oportuit illos mitti solos. Addūtur eis duo alij ex Hierosolymitana ecclesia, ne forte illi, qui Nazaræis adhærebant,

bant, ea quę à Paulo & Barnaba adferebantur, dicerent ſuſpicioſa eſſe, quippe quæ proferentur ab aduerſarijs doctorum ſuorum. Rurſus uerò dum Paulo & Barnabæ adiunguntur legati, non uulgares eis iunguntur, ſed excellentiſsimi. Nomina enim ipſorum exprimuntur, quæ res aliquod eſt inditium uiros fuiſſe illuſtres & clariſsimos. Quid quod dicitur? Placuit delectos ex ſeſe uiros mittere. En delectos, inquit, excellentes inquã & ſingulares. Et quidem ex ſeſe: ex ordine uidelicet apoſtolico, & ex eccleſia Hieroſolymitana, qui teſtari poſſent & apoſtolorum & eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſententiam eſſe quam referebant eccleſiæ Antiochenæ. Additur præterea uiros illos, uiros fuiſſe inter fratres primarios, nimirum quod donis ornati eſſent eximiè & præ cæteris, gratia quoque & authoritate præſtanti prępollerent & excellerent alios. Et tales quidem oportet deſtinari Concilio & Concilij exequutionibus uiros, ſi modò fructum aliquem expectare & conſequi uolumus ex Concilio. De qua re dixi etiam ſuperius cap. 8. His uerò dantur ab apoſtolis & eccleſia literæ fidei, uel

ut uulgò nuncupantur Credentiales, comprehẽdentes ſimul omnia acta ſynodi Hieroſolymitanæ, ex quibus fideles diſcerent, quænam ſit doctrina uera Apoſtolica & ſyncera, & quid quemlibet aut facere aut omittere oporteat. Eas literas Lucas mox in cap. 16. nuncupat Decreta, quæ erant ordinata ab Apoſtolis. Græcè dicit, ὡς δὲ διεπορεύοντο τὰς πόλεις, παρεδίδοσαν αὐτοῖς φυλάσσειν τὰ δόγματα, τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων. Cùm uerò peragrarent urbes, tradebãt eis ſeruãda illa placita uel decreta, quę fuerant iudicata aut decreta ab Apoſtolis. Rectè enim monent interpretes dogma rectius hic uerti edictum aut placitum, quàm doctrinam.

De *traditionibus Apoſtolorum* CAP. XVII.

OCcaſione huius loci digrediar paululum, ac dicam paucula quædã de Traditionibus, quas ferè Apoſtolorum uocãt, & multi faciunt tanti, ut pari reuerentia cũ ſcripturis Canonicis uenerandas dicant.

Quid Traditio?

His traditio παράδοσις, id eſt, quod Apoſtoli non ſcripto, ſed uiuis uerbis inſtitutionẽq; ad poſteros ueluti per manus tranſmiſere.

Affir-

Affirmãt enim Apoſtolos nõ omnia, ſicuti & ſuperius dixi, quę uerę pietatis & ſalutis ſunt, ſcripſiſſe plenè: ſed multa tradidiſſe extra ſcripta uiua uoce, quæ ideò nuncupãt ἄγραφα, non ſcripta, quæ tamen non minorem authoritatem habeant, quàm ἔγγραφα, in literas inquam relata. Et in hoc addunt uerba Apoſtoli ad Theſſal. dicentis, Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones, παραδόσεις, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Atqui hortatur his uerbis Apoſtolus Theſſal. ad conſtantiã in uera doctrina Apoſtolica, quam ipſis tradiderat, & quam in genere traditionem uel inſtitutionem nuncupat, nec loquitur quicquam de huiuſmodi traditionibus, de qualibus iſti Traditionarij intelligunt.

Porrò doctrinam uel inſtitutionẽ illam ſuam partitur in ſermonem & epiſtolam. Per ſermonem intelligit prędicationem uiuam, quã ipſis uiua uoce annunciarat, cùm ageret apud ipſos. Cuius rei meminit Lucas in Actis cap. 17. Per epiſtolam uerò eandem ipſam doctrinam intelligit, quam abſens ſcripto refricabat aut reparabat, inq;

memoriam reducebat. Ac fatemur in præsenti Apostolos per initia prædicationis Euangelicæ tradidisse nationibus Euangelium prædicatione, nec extitisse tunc ullum librum noui Testamenti, sed fuisse duntaxat sermonem uel prædicationem non scriptam, nisi quatenus prophetarũ scripta extabant, omnia mysteria Christi & Euangelij continentia: ex quibus Paulus se prædicasse affirmat Act. 26. & alibi. Ob uarias tamen causas, maximè tamen impellente Apostolos Apostolorumq; discipulos spiritu sancto, in salutem ecclesiæ, uiuum illum sermonem Euangelij scriptis comprehenderunt, perfectamq; doctrinam Euangelij scripto transmiserunt ad posteros. Id quod non ex me ipso fingo, sed cum authoritate dico. Inspiciatur enim præfatio beati Lucę in historiam suam Euangelicam. Et Eusebius lib. Eccles. hist. 3. cap. 4. Et de Paulo ait, dicunt, quòd Euangelij Lucæ mentionem facere solitus sit, quando quasi de suo ipsius Euangelio scribat, dicit, Secundum euangelium meum. Et idem iterum libro 5. cap. 8. Quædam de scriptis noui Testamenti referens ex libris Irenæi, Post mortem

Viua traditio non scripta refertur in scripta.

tem, inquit, Petri & Pauli Marcus discipulus & interpres Petri, etiam ipse nobis ea, quæ à Petro sunt prædicata, in scriptis reliquit, & Lucas sectator Pauli, Euangelium ab illo prædicatum uolumine complexus est. Quòd si quis huius rei ipsius authoris uerba legere uelit, inspiciat lib. 3. cap. 14. & 1. & 12. & c. Claret itaque uiuã traditionem Apostolorum tandem & in scripta esse relatam. Et iccirco sermonem illum traditum à Paulo nos habere in conscripto Euangelio. Meminit idem ille author Irenæus traditionis Apostolorum non semel, sed per illam nõ intellígit quidlibet, quod Traditionum defensores nomine traditionum obtrudunt, sed ipsam fidei nostræ regulam, quã aliàs uocant symbolum Apostolicum. Legatur libri primi caput 2. & 3. & rursus lib. 3. cap. 4. Quid autem, inquit, eo loco, si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, non ne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quib. committebant ecclesias, cui ordinationi assentiuntur multæ gẽtes Barbarorũ, eorum qui in Christũ credunt, sine charactere uel atramento scriptam habentes per spiritum

Traditio Apostolorum uiua est fidei regula uel symbolum.

in cordibus suis salutem, & ueterem traditionem diligenter custodientes, in unum deum credentes, fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christũ Iesum dei filium. Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex uirgin, egenerationem sustinuit, ipse per se hominem adunans deo, & passus sub Pontio Pilato, resurgens, & in claritate receptus in gloria, uenturus saluator eorum qui saluantur, & iudex eorum, qui iudicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores ueritatis, & contemptores patris sui & aduentus eius. Hãc fidem qui sine literis crediderunt, quãtum ad sermonẽ nostrum, barbari sunt, quãtum autem ad sententiam & consuetudinem & conuersationem, propter fidem per quam sapiẽtes sunt, & placẽt deo, cõuersantes in omni iustitia & castitate & sapientia. Ex quibus manifestè apparet, quid per traditionem intellexerit Irenæus. Nos libenter hanc traditionem recipimus, utpote scriptis Apostolorum congruam, & per omnia ex ipsis petitam.

Forte scientiam.

Certè idem ille lib. 3. cap. 2. Cum ex scripturis,

pturis, inquit, arguuntur hæretici, in accusationem conuertuntur scripturarum, qua si non rectè habeant, nec sint ex authoritate, & quod uarie sint dictæ, & quod ex his non possit inueniri ueritas, ab eis qui Traditionem nesciunt. Non enim per literas traditam illam, sed per uiuam uocem. Hæc ille. Quibus non dissimilia hodie proferuntur à multis. Tertullianus commemorat in libro de Corona militis traditiones aliquot non scriptas, sed alias & pauciores longe, quam quidem nunc numerent: idem tamē in Præscript. hæret. Ipsa doctrina hæreticorum, inquit, cum apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit neque apostoli alicuius authoris esse, neque apostolici. Quia sicut apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & apostolici non contraria apostolis edidissent, nisi illi qui ab apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt. Hæc ille, & recte quidem. Nā beatus Paulus ad Corinthios, Non, inquit, alia scribimus uobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis. Et iterum loquens de discipulis suo Tito, homine apostolico, An non eodem, inquit, spiritu ambulauimus?

Traditiones probandæ sunt per scripturas apostolorū an apostolicæ sint.

2. Cor. 1.

2. Cor. 12.

1.Cor.4. an non ijsdem uestigijs? Et iterum, Hac de causa misi ad uos Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in domino, qui uobis in memoriam reducat uias meas quæ sunt in Christo, quemadmodum ubique in omni ecclesia doceo. Proinde tutissimum fuerit, si aliquid titulo Traditionis obijcia tur recipiendum ceu apostolicum, id protinus examines ad scripturam apostolicam, an cum ea cõgruat, an dissideat. Si dissidet, ne receperis illã, utcunque ueterem & speciosam traditionem ab istis commendatam pro apostolica traditione. Vt si dicatur usum imaginum Christi & diuorum in templis ex traditione apostolica esse, tu uerò in præsenti Decreto apostolico audis, apostolos idola prohibuisse cõuersis ad Christũ, denique sigillatim reiecta esse à Petro apostolo 1. Pet. 4. à Paulo autem ad Rom. 1. & 1. Cor. 10. denique à Ioanne apostolo 1. Ioan. 5. quomodo pro traditione apostolica recipias, quod manifeste pugnat cũ doctrina apostolica? Quis enim credat apostolos Christi spiritu ueritatis donatos, aliud stantes, quod dici solet, aliud sedentes dixisse, id est aliud scripsisse, & mox contraria

traria ſcriptis uiua uoce tradidiſſe? Non dicam hic per Traditiones orientem cum occidente commiſſum eſſe ſcandaloſo certamine de paſchate celebrando, ſicut uidere eſt apud Socratem in hiſtoria lib. 5. cap. 22. & apud Auguſtinum ad Caſulanũ de Ieiuniorum diuerſitate Epiſt. 86.

Si uerò pergamus promiſcue recipere quod traditionum titulo nobis obtruditur, quid erit tandem tam abſurdum quod hoc nomine nobis imponi non poſsit? Si enim illud quod imponitur nobis, traditio nuncupetur, nulla erit ampliore opus probatione. Verũ quis tam ſeruilẽ conditionẽ recipiat? Si ergo obijciatur traditio apoſtolica, roga qua re tibi cõmonſtrari poſsit traditionẽ obiectã eam eſſe quæ dicitur? Si ideò apoſtolicã uideri uolũt, quod obſeruatio illa quæ dicitur eſſe ex traditione unanimiter per totũ terrarũ orbem ita ſeruatur; reſtat ut hoc ipſum ita eſſe cõmonſtretur. Repugnantia quædã inuenietur in ijs quę ſcribuntur à B. Auguſtino ad Ianuariũ epiſt. 118. & à Socrate hiſtorico lib. quẽ iã citauimus hiſtoriarũ 5. cap. 22. Si uerò hoc totũ reijcit ad teſtimonia patrũ, quaſi ideo apo-

Nõ poſſunt probare Traditiones quas uocant apoſtolicas, eſſe ueras ab apoſtolis traditas.

ſtolicæ ſint, quòd eas uocarint Apoſtolicas beati patres, ne hi quidem ſibi credi uolũt abſque teſtimonio. Quis ergo finis erit huius contentionis? aut quid adiceretur certũ & firmum, cui tutò inniteris? Verbum domini certum & firmum eſt. Tutiſſimè ergo uerbo domini inniteris. Proinde quod extra aut contra uerbum dei ſcriptum tibi obijcitur, ſi non uis falli, aut perplexus, rerumq; dubius aut incertus hærere, & probato, & ſuppoſititia fugito.

De Canonibus, quos apoſtolorũ uocant.

Obtruſi ſunt etiam eccleſiæ Chriſti Canones appellati apoſtolorũ, ſed qui parum aut nihil habeant ſynceritatis & ſimplicitatis apoſtolicæ. Et tamen recepti ſunt ante ſecula aliquot à uiris præſtantibus. Meminit eorum Iuſtinianus in ſuis Authenticis. Iſidorus quoque Hiſpalenſis quem & Iuniorem uocant, in Præfatione operis Conciliorum, Concilijs, inquit, prępoſuimus Canones apoſtolorum, licet à quibuſdam apocryphi dicantur: quoniam plures eos recipiunt, & ſancti patres eorum ſententias ſynodali authoritate roborauerunt, & inter Canonicas poſuerunt Cõſtitutiones. Idem tamen ille (ſi modo alius non ſit, ut mox dicam)

cam) ſibi ipſi manifeſtè repugnans, apud Gratianũ Diſtinct. 16. Canones, inquit, qui dicũtur apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec ſedes Apoſtolica recepit, nec ſancti patres illis aſſenſum prębuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur: quamuis in eis utilia inueniantur, tamen ab authoritate catholica & apoſtolica eorum geſta cõſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata. Videntur autem hæc conſcripta eſſe à ſeniore Iſidoro. Duo enim fuerunt huius nominis uiri celebres, Senior, qui fuit Cordubenſis epiſcopus, & Iunior, qui fuit Hiſpalenſis epiſcopus ac ſenioris meminit. Poſuit autem Iunior Canones duntaxat 50, ſicuti & Leo nonus. Alij numerant 60. Synodus ſexta cap. 2. recenſet Canones 85. ut uel ex hoc diuerſo numero, & ex eo quod multis in locis manifeſtè diſſident à doctrina apoſtolica ſcripta, appareat Conſtitutiones eſſe humanas, non Apoſtolorum regulas. Adijciũtur Canonibus Apoſtolorum multæ apoſtolicæ, ſicuti uideri uolunt, epiſtolæ à uetuſtis, ut aiunt, pontificibus conſcriptæ. Sed iſtæ quoque tales ſunt, ſi com-

Iſidoriduo, Senior & Iunior.

ponantur cum ſcriptis apoſtolicis ſynceris, ut nihil aut parum habeant apoſtolicæ ſyn ceritatis, & rectè quidem multasq; ob cauſas de authoribus & authoritate ipſarum pijſſimi & doctiſſimi quique addubitarint: quemadmodū & de Clementinis epiſtolis Marſilius Patauinus Dictione 2. cap. 28. Sed de his iam non inſtitui diſputare exactius. Nam hæc hactenus uolui obiter dicere de Traditionibus Apoſtolorum: nūc ad hiſtoriam Apoſtolorum redeo.

Scripta ab Apoſtolis ſynodali epiſtola Phariſæi aduerſarij Pauli refutantur & cōdemnantur, Paulus uerò & Barnabas ut ſerui Ieſu Chriſti fideles commendantur. Commendatur item uirtus legatorum Paulo additorum. CAP. XVIII.

SCribuntur modò literæ ſynodales legatis Antiochiam, & ad gentes mittendis tradendæ, quæ ad hunc modum habent,

Apoſtoli & presbyteri & fratres his, qui ſunt Antiochiæ, & in Syria, & in Cilicia fratribus, qui ſunt ex gentibus, Salutem. Quoniam audiuimus quòd quidam è nobis egreſſi, turbauerunt uos uerbis, labefactantes animas ueſtras, iubentes uos circuncidi, & ſeruare legem, quibus non mandauera-

mus

mus: uisum est nobis unanimiter congregatis delectos uiros mittere ad uos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui exposuerũt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Mittimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uerbis uobis referant eadem. Visum est enim spiritui sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria, uidelicet ut abstineatis ab his, quæ sunt immolata simulachris, et sanguine & suffocato, & scortatione. A quibus si conseruaueritis uos ipsos, bene facietis. Valete.

Argumẽtũ epistolæ synodalis.

Scripta est hæc epistola synodalis ab apostolis more epistolarum uulgari, & absoluitur capitibus fermè quinque. Principiò enim inscriptionem habet. Deinde narrat occasionem synodi decretiq; synodici. Hinc commendat Paulum cum Barnaba & legatos his additos, Iudam & Silam. Quibus mox subtexitur Decretum synodale. Postremo loco commendant decretum, & dicunt quod bene facturi sint, si illud fideliter seruauerint. Est itaque epistola expositoria, qua mira breuitate feliciter exponuntur acta synodi Hierosolymitanæ. Inscriptio habet subscriptionem, ut uocant, no-

mina illorum uidelicet, à quibus profecta est epistola, exprimens. Commemorantur ordine Apostoli, Presbyteri, & fratres. De qua re dictū est antea. Per fratres intelligimus fideles apostolorum discipulos, quos hodie etiam nūcupamus laicos. Inscribunt hanc epistolam imprimis fidelibus Antiochenæ ecclesiæ à gentilismo conuersis ad Christianismum, deinde fidelibus in Syria cis ac Ciliciæ ecclesijs, adeoq; omnibus per orbem terrarum conuersis ad Christū gentibus. His omnibus precantur salutem, nimirum gratiam & pacem & uitā æternam à deo patre per dominum nostrum Iesum Christum, sicuti alibi leguntur imprecati fidelibus apostoli. Dominus autem efficacem reddit suorum benedictionem: sicuti promisit Num. 6.

Refutantur ab apostolis pseudoapostoli.

Deinde attexunt occasionem totius huius negotij quod epistola sunt narraturi: ac in ea narratione, non tantùm perstringunt, sed penitus subuertunt & confodiunt pseudoapostolos, Pauli aduersarios, cum uniuersa sua doctrina. Quod sigillatim expendentes explicabimus. Initiò referunt se, ab alijs nimirum, audiuisse, quosdam ex ipsis esse

esse egressos, & Antiochiam in que alias ecclesias gentium fuisse subingressos. Vnde haud dubie colligi uoluerunt, quod & paulò post exprimũt perspicue, illos ipsos ab apostolis, aut ab ecclesia Hierosolymitana non fuisse legitime missos. Nam talis uidetur esse hæc apostolorum loquutio, qualis illa Ioānis apostoli apparet, dicentis, Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, &c. Ita & Paulus, Ego, inquit, noui hoc, quod ingressuri sunt post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis egredientur uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Recte itaque monui superius locũ celebrem, uel opinione hominũ sanctum, pseudodoctoribus nihil addere authoritatis. Fuit enim & Iudas è numero duodecim, sed interim fur & parricida.

Effectus doctrinæ prauæ conturbare.

Addũt quis fuerit effectus doctrinę illo rũ, qui suaspõte, nõ missi ab apostol. aut ab ecclesia Hierosol. cucurrerant. Non, inquiunt, docuerũt uos uiã salutis, aut direxerũt uos in uia ueritatis, sed turbauerũt uos uerbis, Et quidẽ uerbis, nimirũ inanib. Quinimo mox subijciũt per expositionẽ quãdã,

labefactantes, uel ut alij uerterunt, ſubuertentes animas ueſtras, dum uidelicet mandarunt uos circumcidi, & ſeruare legem, ſi modò uelitis fieri ſalui. Atqui iactarant iſti, contra quos hæc pronunciantur, apoſtolos qui Hieroſolymis habitarent, in prima uel præcipua & quaſi matre eccleſiarũ, ita docere, atque ut & ipſi ſic docerẽt, mandaſſe. Apoſtoli uerò nunc dicunt, Quibus nihil mãdaueramus. His licet breuiſsimis, ualidiſsime confutati ſunt, non modo Phariſæi aduerſarij Pauli, ſed omnes etiam in uniuerſum, qui ad finem uſque ſeculi docturi ſunt, lege & operibus, non fide & gratia, iuſtificari credentes. Talibus enim dicatoribus, licet maximè uideri uelint præapoſtolici, apoſtoli nihil mandaſſe manifeſte hic profitentur. Et obſeruandus hic ante omnia uidetur effectus corruptæ doctrinæ. Ea non pacat, ſed conturbat: nõ erigit, ſed deijcit: non confirmat, ſed labefactat: non ſeruat, ſed euertit atque perdit.

Doctrina Phariſaica euertitur euangelium.

Nam prædicatione Phariſaica legis & operum contra fidem & gratiam dei in Chriſto Ieſu, dubia redditur ſalus, eneruatur fides, exinanitur dei gratia, negatur, adeoq; conculca-

conculcatur Christi redemptio uel satisfactio, denicq; quærit in semetipso homo peccator salutem, & gloriatur in suis meritis. Contra hæc omnia pro gratuita dei gratia uehementissimè pugnant hæc sancti Apostoli Christi testimonia & sententię grauissimæ, Miror, inquit ad Galatas Apostolus, quòd à Christo, qui uocauit uos per gratiã, adeò citò trãsferamini in aliud euangeliũ, quod non est aliud, nisi quòd quidam sunt, qui conturbant uos, & uolunt peruertere euangelium Christi. Ego per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. Et qui circunciduntur, neipsi quidem legem seruant, nolunt tamen uos circũcidi, ut in carne uestra glorientur. Ego uerò absit ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si uerò hi qui ad legem pertinent, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio. Iccirco ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini, non ei

Galat. 1.

Galat. 2.

Galat. 6.

Rom. 4.

Galat. 3.

quod est ex lege tãtùm, uerumetiã ei, quòd
Rom. 11. est ex fide. Quòd si per gratiã, iã nõ ex ope
rib. quãdoquidẽ gratia iã nõ est gratia. Sin
ex operib. iã nõ est gratia. Nã opus iam nõ
1. Corint. 1. est opus. Factus est ergo nobis Christus Ie-
sus sapiẽtia à deo, iustitiaq́, & sanctificatio
& redẽptio: ut quẽadmodũ scriptũ est, Qui
Ephes. 2. gloriatur, in domino glorietur. Gratia enim
estis seruati per fidem, idq́ nõ ex uobis, dei
donum est: non ex operibus, ne quis glo-
rietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in
Christo Iesu ad opera bona, quæ præpara-
uit deus, ut in eis ambularemus.

Commendatur Paulus & doctrina eius. Tertio loco & ueluti ex opposito commendant principiò Paulum & Barnabam, deinde uerò additos his legatos uiros apostolicos, Iudã & Silam. Eximia uerò laus Pauli & Barnabæ est, quod agnoscũtur & prædicantur ab Apostolis, & à tanta ecclesia dilecti. Intelligimus enim Apostolos & Hierosol. ecclesiam hos agnouisse pro amicis, socijs, symmystis atq́ charis fratribus. De aduersarijs Pauli dixerunt, quòd his nihil mandauerint, nimirum quòd nihil eis cum illis sit negotij. Præterea fidem Pauli & Barnabæ eximiã Christo in annuncian-

do

do euangelio præſtitam prædicantes, dicũt iſtos animas ſuas expoſuiſſe pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Etenim inter gentes perfrequenter propter prędicatum Chriſtum de uita ſunt periclitati. Teſtabuntur ea de re 13. & 14. cap. Actuum apoſtol. Hæc autem dum amplè prædicant, approbant non tantùm fidele ipſorum in Euangelica prædicatione miniſterium, ſed inſuper ipſam eorum doctrinam omnibus gentibus & uniuerſæ poſteritati inſinuant atq; commẽdant tanquam puriſſimam & optimam. De legatis itidem honorificè, uti decebat, & neceſſarium erat, loquuntur. Dicunt enim ſe illos unanimiter, uel omnes collecti in unum miſiſſe. Id quod ipſis non paruam addebat gratiam & authoritatem. Magnum enim erat mitti à tali eccleſia, & ab unanimi quidem eccleſia, in qua erant eximij Apoſtoli Chriſti. Cumq; aiũt ſe miſiſſe uiros delectos, quos antea primarios audiuimus appellatos, ſignificant eos eximijs donis eſſe excellẽtes. Alioqui enim nõ eſt quod quiſquam ſibi primatum fingat tot ies condemnatũ in Euangelio apud Mat. in 18. & 20. & apud Lucã in 22. cap. Quid

uerò hi faciant, aut cur ad ipſos ſint ablegati, etiam exponunt, ut uerbis referrent eadem. Eadem nimirum, quæ ſcripto breui comprehenſa erant, copioſius ipſi explicarent, ac teſtarentur Phariſæis nihil mandatum eſſe ab Apoſtolis, neq; miſſos eſſe Hieroſolyma ad gentes, & proinde falſam & corruptam eſſe ipſorum doctrinam de lege, Pauli autẽ & Barnabæ prædicationem de fide eſſe ueram & ſyncerã, deniq; quod hi ſint fideles & illuſtres Apoſtoli Chriſti, & ideò ab omnibus eccleſijs audiendi. Ergo ſi qui uel hodie ad nos ueniãt, uerbis uerò non eadem cum ijs, quæ habentur ſcripta in libris canonicis, referãt, minimè ſunt audiendi. Apoſtolus enim ad Galatas, Etiamſi, inquit, aut angelus è cœlo prædicauerit uobis euangelium extrà id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Atque hoc nobis eſſe debet pro regula æterna & infallabili. Referũtur item uerba hæc, Qui uerbis referent uobis eadem ad conſequentia, ad decretum inquam, quod iam ſequitur, apoſtolicum, quod ipſum etiam copioſius explicare debuerunt.

Paucis

Paucis exponitur Decretum Apoſtolicum, Gentes uidelicet non oportere aggrauari lege: & quod à quibuſdam pauculis debeant abſtinere. CAPVT XIX.

NVnc enim quarto loco ſubiungitur ſumma Decreti apoſtolici, Viſum eſt, inquiunt, ſpiritui ſancto & nobis, &c. In quo quidem ſynodali decreto quædam nõ negligenter expendẽda obſeruandaq; ueniunt. Principiò itaque authorem decreti illius ſui uerum oſtendunt, ſpiritũ ſanctũ: cui ſe coniungunt, non autem præponunt aut ſe illi æquant. Ideò autem ſe coniungunt ſancto ſpiritui, quod etſi ipſe ſit uerus & unicus author Decreti huius, apoſtolis ac ſynodo tamen uſus eſt, ceu inſtrumentis cũ hominibus agendi idoneis: utpote per quos quæ uoluit reuelauit eccleſiæ. Ipſe alioqui ſpiritus inuiſibilis eſt: homines aũt uiſibiles ſumus, & per homines commode erudiri poſſumus. Coniungunt ſe ſpiritui etiam ob hanc cauſam, quod omnis apoſtolica authoritas ex illo eſt: & quod eccleſia credit apoſtolis, propter ſpiritum Chriſti loquentem per apoſtolos credit. Scimus enim dixiſſe in euangelio dominum, Non

Author huius decreti.

uos estis illi loquentes : sed spiritus patris mei loquetur ex uobis. Ideoq; qui uos audit, me audit: & qui me audit, audit eum qui me misit. Vnde manifeste & euidenter colligimus, Concilijs non modò opus esse ante omnia spiritu sancto, sed etiam necessariò requiri ab ipso, ut se sinat regi per spiritum sanctum, eiq; se subijciat in omnibus: de quo dominus dixit, Ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunque dixi uobis. Neque hic dubitãdum est, quin tunc Cõcilium uere regatur à spiritu sancto, quando in omnibus sequit scripturas sanctas, per quas loquit nobis etiã hodie spiritus sanctus. Sine authoritate sancti spiritus, nulla est authoritas Conciliorũ: cum ne apostoli quidem suam hic in Concilio authoritatem, sine spiritus sancti authoritate iactauerint, sed pręposuerint spiritum, se subiũxerint, quasi sibi credi uoluerint propter spiritum loquentem & agentem in ipsis.

Mare. 13. Luc 10. Ioann. 13.

Oportet Concilium regi à spiritu sancto.

Summa Decreti apostolici.

Summa autẽ decreti bipertita est. Nam principiò dicunt nihil amplius oneris imposituros se illis. Deinde subiungunt quatuor illa aduentitia capita, quę existimarũt gentibus

gentibus seruatu esse necessaria. Et quidem onus nunc uocant apostoli in hoc Decreto, quod Petrus ante in sua illa oratione appellauit iugum: Iacobus uerò in sua oratione conturbationem uel molestiam. Quę quidem legi attribuuntur, non propter se, sed propter nostram infirmitatem. Comprehenderunt ergo his paucissimis uerbis apostoli, quod superius pluribus explicarunt, nempe legem Mosis non esse obtrudendam gentibus conuersis ad Christum, tanquam necessariam ad salutem. Fide enim in Christum, non legis obseruatione iustificari credẽtes: & in hac libertate Christiana omnibus perseuerandum esse constanter: quando neq; patres neque legem ferre potuerimus, & prophetæ prædixerint salutem fidelium in regno Christi futuram gratuitam. Hæc omnia plenius explicantur in epistolis beati Pauli, maxime ad Romanos, Galatas, & Ephesios.

Non licet ecclesiam onerare legibus aut constitutionibus.

Si uerò apostoli & Concilium Hierosolymitanum noluerunt legem à deo latam promulgatamq;, & compluribus confirmatã signis, imponere fidelibus, quo iure imponuntur & imposita sunt à Concilijs Pon

tificibusq; & patribus tot hominum constitutiones: quarum neque modus neque finis ullus est. Meminisse debuissent uerborum apostoli, dicentis, Empti estis precio magno, nolite fieri hominũ serui. Et quod ipsemet dominus dixit, Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et, Quare omisso præcepto dei, tenetis constitutiones hominum? Item, Non mittã super uos aliquod pondus, præter quod habetis: retinete donec uenero. Quibus sanè uerbis negat dominus aliam se doctrinam traditurum, quã tradidit, iccirco hanc ad iudicium usque retinendam. Quę ergo necessitas ecclesiæ requirit, nouas, easq; infinitas, condere leges? Possumus hoc apostolicum testimonium & iudicatum, ueluti Aiacis clypeum, obijcere omnibus aliorum Conciliorum constitutionibus. Nam dum hoc concilium apostolicum negat se quicquam oneris impositurum fidelibus, cur imponunt ac imposuerunt ecclesiæ dei alia illa Concilia multa & magna onera? An uero putant se plus habere potestatis in fideles, quàm habuerint apostoli cum senioribus primitiuæ ac apostolicæ ecclesiæ, in

1. Cor. 7.
Math. 15.
Marc. 7.
Apoc. 2.

siæ, in ecclesiã sanguine Christi redẽptam. Dominus studiũ illud cõdẽdi leges in Pharisæis reprehendit, cùm dixit, Colligãt onera grauia, difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum, &c. Matth. 23.

Deinde addunt præcipuo huic capiti quatuor alia capita aduentitia, idolothyta, fornicationem, suffocatum & sanguinem. Necessaria hæc dicũt, cùm quòd quædam lege dei seriò sunt prohibita, tũ quòd quædam illo tempore & propter charitatem offensionemq; uitandam necessaria sunt uisa. De quibus abundè satis antea dictũ est. Irenæus loco superius indicato hũc locum ita reddit, Vt abstineatis ab idolothytis & sanguine (suffocatum omittit, & cum sanguine comprehendit) & fornicatione. Et quæcunque non uultis uobis fieri, alijs ne faciatis. Inserit contextui postremam hanc sententiam & Complutensis Codex, eiusdemq; meminere exemplaria Basiliensia, Parisiẽsia, & Geneuẽsia. Quòd si hanc legem apposuerunt etiã Apostoli, ideò haud dubiè apposuerunt, ut ualidè gentibus persuaderent, Iudæos non esse exasperandos atque contemnendos, cùm se quoque no-

lint contemni, sed & ut una hæc lex esset uice multarũ, imò omnium legum. In Euangelio enim dicit dominus, Omnia igitur quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines, eadem & uos facite illis. Hæc enim est lex, & in hoc sunt prophetæ. Hæc certè unica & certissima regula est, quid agamus aut quid omittamus in omnibus erga fratres aut proximos nostros negotijs.

Commendatur decretum.

Postremo loco commendant omnibus commemoratum decretum, dicentes ipsos bene, rectè aut piè facturos, si ab istis sese abstinuerint. Ita & dominus post ablutionem pedum, & præcepta aliquot data, dicit ad Apostolos, Si hæc nouistis, beati estis, si feceritis ea. Neque enim satis est scire quid facias, aut quid omittas, nisi etiam facias aut non facias, quod faciendum aut omittendũ didicisti. Ideò & Apostoli Christi non tantùm docent officia, sed huc quoque hortantur & inuitant, à prauis deterrent. Ac in præsenti calcar addunt, cùm dicunt benefacturos, si abstineant à prohibitis. Satis enim & abundè satis incitasti piũ animum, si dicas illum bene aut rectè facere, si faciat, quod iubes aut suades. Irenæus

legit

legit hæc uerba ad hũc modum, A quibus cuſtodientes uos ipſos, bene agitis, ambulantes in ſpiritu ſancto, nimirum facientes ea, quæ uiſa ſunt ſpiritui ſancto. Nullas diras & horrẽdas execrationes ſpirat aut eiaculaẽ finis huius decreti Apoſtolici, quemadmodum cernimus omnia propemodum Pontificalia decreta hac clauſula terminari, Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam noſtrorum decretorum infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe nouerit incurſurum. Quinimò ſicut in omnibus familiarem & uulgarem epiſtolarum formam modumq; ſecuti ſunt, ita & epiſtolam huius ſui Decreti concludẽtes, more uulgari aiunt, Valete. Et in hoc quidem toto decreto laudãda eſt beata illa breuitas, quę paucis omnia cõprehẽdit, quę de maximis religionis doctrinęq; noſtrę myſterijs tradita ſunt.

Exponitur executio decretorum Concilij, quid legati Concilij egerint, quomodo ab eccleſia ſint excepti, & quomodo item dimiſſi rurſus. CAP. XX.

VLtimus porrò hiſtoriæ noſtræ actus hiſce deſcribitur uerbis,

Illi ergo dimiſſi, uenerunt Antiochiam, & congregata multitudine, reddiderunt epiſtolam, quam cùm legiſſent, gauiſi ſunt propter conſolationem. Iudas autem & Silas cùm eſſent & ipſi prophetæ, uerbis multis adhortati ſunt fratres, confirmauerũtq́. Commorati autem illic aliquãtulum temporis, dimiſſi ſunt cum pace à fratribus ad Apoſtolos.

Executio decretorũ Concilij.

Executio Decretorum Concilij per legatos iam deſcribitur, quid uidelicet egerint legati Apoſtolici Antiochiæ, quomodo item fuerint excepti ab eccleſia, & quomodo in pace rurſus ſint ab eadem dimiſſi Hieroſolymam. Niſi uerò executio in re qualibet, maximè in Concilijs, conſultationibus ue, & legibus conſequatur diligẽs, & fidi diligentesq́ homines ordinentur, qui bene ordinata in effectum producant, inanis eſt haud dubiè omnis bona conſultatio, inania ſunt omnia decreta, tametſi interim optima ſint, periſt denique omnis labor & impenſa. Executio fidelis per induſtrios homines omnes leges uel ordinationes bonas per ſe quidẽ marcidas ac mortuas, ceu floren-

florentes uiuáſque reddit. Inſpiciamus ergo quomodo legati Apoſtolici ſua illa functione uſi, omnia commiſſa ſibi optime exequuti ſint, inque effectum produxerint.

Dimiſsi ab apoſtolis & eccleſia, nihil cũ ſtantur aut prętexunt, quo abeant tardius, ſed ſine mora, & rectà quidem Antiochiã, quo mittebãtur, petunt. Ignaui legati non modo ſerò ſoluũt, ſed et in itinere hærẽtes, res alienas à ſuo inſtituto, agunt, in quibus etiam plus collocant operæ diligentiæq́, quàm in ipſis cõmiſsis rebus. Diuerſa his omnia uideas in legatis apoſtolicis. Nam ubi attigiſſent Antiochiam, nullas hic quoque moras nectunt, neque res alienas tractant, ſed protinus congregant fideliũ cœtum uel eccleſiam, huicq́ epiſtolam ſynodalem, quam reddendam ab apoſtolis acceperant, fideliſsime reddunt. Non agunt hic cum delectis aut pauculis aliquot, ſed cum uniuerſa eccleſia. Negotium enim pertinebat ad uniuerſam eccleſiam, & diſsidium cognitum erat uniuerſæ eccleſiæ, & Apoſtoli literas inſcripſerant omnibus ad Chriſtum conuerſis ex ethnicis fidelibus. Pro-

Exemplũ fidelium legatorum.

inde literas omnibus fidelibus legẽdas offerũt. Alieniſsimum hoc eſt ab eorum conſuetudine, qui cum & ipſe dicant ſe legatos eſſe apoſtolicos, ea tamen quæ ſtatuta ſunt in ſynodis, non proferunt ad cognitionem omnium fidelium, ſed quædam occultant, quædam uerò cum delectis cõmunicant. Nec mirum hoc uidebitur, ſi cogitemus illos ipſos codicem etiam ſacrum ex manibus detrahere laicorum, quaſi ſcriptura ſacra animos fideliũ inuoluat, non euoluat, in errores præcipites det, non eripiat extrahatq; ex errorib. Niſi uerò Berrhœenſibus familiaris admodum fuiſſet ſcriptura legis & prophetarũ, quomodo obſecro potuiſſent, adhibita ſcripturis doctrina Pauli, deprehendere, ueráne an falſa docuiſſet? Niſi laicis admodum familiaris atque adeò communis quondam fuiſſet ſcriptura diuina, non ablegaſſet pater Abraham quinq; fratres diuitis epulonis ad Moſen & prophetas. Scimus & Timotheum à puero ſacras didiciſſe literas. Quemadmodum itaque ſacras literas conuenit communes eſſe omnibus, ita decreta Conciliorum omnibus ſunt etiam proponenda.

Scriptura ſacra omnibus communis, tam doctis quàm indoctis.

His

His accedit, quod Iudas & Sílas addiderunt ſcriptis uoces uiuas. Nam multis uerbis uel ſermone copioſo ait Lucas adhortatiſunt fratres, nimirum ad conſtantíam ín doctrina apoſtolica, ín fide uera & dilectione ſyncera. In íllis ípſis rebus confírmarũt etiam fideles. Vnde diſcimus, doctrina, ad hortatione, & conſolatione confirmatione, neq; opus eſſe in eccleſia fidelibus. Non dubium eſt quin excellentiſsima fuerit Antiochena illo tempore eccleſia, fideléſque habuerit prçcellentiſsimis ſpíritus donis pollentes doctores: níhilominus tamen libenter ſuſtinet à legatis illis admoneri, adhortari, & confírmari. Et fecerunt quídem iſta legati illi apoſtolici ex officio. Addit enim Lucas, ipſos fuiſſe prophetas. At de his apoſtolus, Qui prophetat, ínquit, loquitur hominibus ædificationem & exhortationem & conſolationem. Debẽt ergo ſemper eſſe ín eccleſia prophetæ qui ſcripturã ſacrã uiuis exponant uocibus, ac applicent locis, temporibus, atque perſonis.

Prophetarum officiũ ſcripta uiuis explicare uocibus.

Obſerua mihi item et in hoc, apoſtolicorũ legatorum fidem & diligentiam in expediundis ſibi rebus commiſsis. Non enim ſe

mel & iterum docent aut uno ac altero die hortantur atque confirmant fratres, sed ali quantulũ temporis, in ea ecclesía sunt commorati. Oportet itaque instituendis & confirmãdis, reparandis item atque pacandis ecclesijs iustum deligere & impẽdere tempus. Oportet omni diligentia ac fide urgere res salutares, atque inculcare perpetuò doctrinam apostolicam. Atque hic locum habet Episcoporum sedula uigilantia, labor indefessus, & studium perpetuum seruandi & restaurandi ecclesiam. Hi enim sunt exequutores & restauratores bonarũ legum ordinationumq; . Horum est dilapsa & cõuulsa iterum integrare, uerbumq; domini salutare in ecclesia conseruare, applicare & urgere. Episcoporum inscitia & ignauia pereũt bonæ leges, perit uerbi dei integritas, & nihil suo loco consistit in ecclesia, nemo facit suum officiũ. Discant ergo apostolicorum legatorum exemplo ecclesiarum pastores, quid ipsos in suo munere deceat. Discant etiã principes suum facere officium, sicut fecit Constantinus, qui Arium conuictum damnauit, deportariq; fecit in exilium. Sequuti sunt eius exemplum

Episcopi sunt ueri illi exequutores Concilij diuini.

plum reliqui Imperatores, qui & ipsi seductores persecuti sunt, & blasphemias oppresserunt.

Iam quomodo legati Cõcilij excepti sint ab Antiochena ecclesia, paucis attingitur. Nam cùm legissent epistolam, gauisi sunt, ait Lucas, propter consolationem. Ergo amicè & honorificè sunt excepti, sponte & obedienter auditi. Legunt etiam quæ offerunt. Audiũt consolationem, quam etiam exscriptis percipiunt, intelligentes turbatores illos nihil mandati accepisse ab Apostolis. Gaudent concordem inuentã Apostolorum doctrinam. Gaudent de libertate asserta, denique & de simplici salutis humanæ doctrina: nimirum agunt pro his omnibus etiam deo gratias, eundemq; orant, ut doctrinæ syncritatem cõseruet in ecclesia, & quàm latissimè propaget. Quo exemplo discunt omnes ecclesiæ, quid se quoq; deceat post synodos feliciter aut salubriter celebratas. Quomodo legati sint excepti.

Præterea paucis assignatur ab historico nostro, quomodo legati Concilij ab ecclesia, ad quam missi fuerant, sint dimissi, in pace uidelicet & bona cum gratia. Affirma- Quomodo legati sint dimissi.

mus ergo rectissimè Apostolos Christi domini suum illud Concilium celebrasse magna cum tranquillitate, & eximio cum pacis fructu: & hunc etiam fructum apparere passim in ecclesijs gentium, ante Concilium plus nimium conturbatis. Quòd si superarent adhuc nonnulli, quibus nondum erat satisfactum, & qui postea Galatarum ecclesiam & alias ecclesias conturbarunt, omnes tamen pij & obsequẽtes ueritati puræ fructum pacis perceperunt, & percipiẽt illum etiam hodie omnes in ecclesia, si doctrinam sequantur Apostolicam, tametsi nonnulli pergant tumultuari, & omnia uertere in dubiũ. Pij enim in Christo & Euangelio eius acquiescunt. Interim sciunt nullis unquam Concilijs eò esse uentũ, ut nulli fuerint turbatores aut contradicentes reliqui. Sciunt enim uerissima esse, quæ prophetæ & Apostoli, & imprimis Dominus noster Iesus Christus prædixerunt de postremi seculi cõturbatione, dissidijs, sectisq; & calamitatibus.

Finis & fructus Conciliorũ pax.

Ista autẽ habui hactenus, quæ adferrem de primo capite in initio operis huius propositio, magna uidelicet cum tranquillitate,

&

& eximio cũ pacis fructu Apostolos Christi domini suum illud Hierosolymitanũ celebrasse Concilium. Ex quo ueluti regula sempiterna discí potest, quomodo omnib. temporibus synodi, siquidem ijs opus sit, pacificè & multo cũ fructu celebrari possint: si uidelicet omnia in synodis nostris instituamus ad exemplum Apostolicum, quo nihil est neque simplicius, neque melius. Cõstat enim in orbe Christiano, & omnibus consequẽtibus temporibus nullum unquam Cõcilium tanta felicitate fuisse celebratum, ut meritò Concilia celebrare uolentium oculi omnium in hoc unum debeant esse intenti.

Regula Cõciliorũ sempiterna.

De quibusdam synodis post ætatem Apostolorum celebratis. Et imprimis de Vniuersali magnáq; synodo Nicæna, & quæ in ipsa sint decreta. CAP. XXI.

RElíquum iam esset ut ad alteram huius operis partem explicandam accederemus, nisi operæpreciũ uideretur quædam pro huius nostri instituti cõmodo utilitatéq; lectorum annotare, quàm breuibus fieri potest, de Concilijs celebrioribus post tempora Apostolorum apud ueteres quon

Oecumenicæ synodi quatuor.

dam celebratis. Numerarunt enim omnes œcumenicas uel uniuersales synodos in ecclesia Christi celebratas quatuor, Nicenam uidelicet, Constantinopolitanam, Ephesinam & Chalcedonensem, quarum authoritatem apud fideles plurimum ualere uoluerũt. Quibus alij (inter quos & Beda est) addũt duo alia uniuersalia Concilia, Quintum uidelicet & Sextum Cõstantinopolitanum. De quibus ordine dicam.

Synodi de Paschate uariæ.

Sciendum est tamen post Apostolorum Christi ætatem, & ante Nicenũ concilium, plurima per orbem Christianum in diuersis locis celebrata esse Concilia, sed illa quidem particularia uel prouincialia. Cùm enim de Paschate celebrando incidisset contentio inter Orientis Occidentisq; ecclesias, harũq; episcopos, Romæ Victor Romanæ ecclesiæ antistes synodum congregauit, sibiq; in alias ecclesias plus uoluit usurpare potestatis, quàm concessum esset à domino. Quam ob rem grauiter fuit increpatus ab Irenæo Lugdunensi episcopo. Tam citò exeruit se, operariq; cœpit istorum Episcoporum ambitio ac tyrãnis, ut mirum non sit dixisse sua ætate Apostolũ, Et nunc quidem

quidem agit mysterium iniquitatis. Item, Ex uobis ipsis exorientur uiri loquentes peruersa, ut abducãt post se discipulos, &c. In oriente quoque Cæsareæ in Palestina synodum conuocauit Trophilus Episcopus, in Ponto Palmas Episcopus, & alias alij in Asia. In Gallia quoque Irenæus eadem de re cõcilium habuit, ut in Achaia Bacchylus. Cæterum non potuit illis ne post tot celebratas quidem synodos, recte inter se mutuum Episcopis cõuenire. Nam ea contro uersia in Niceno demum Concilio est composita atque penitus deposita. Ac mirum est, in re tam exili tantos tum potuisse excitari tumultus. Hæc omnia exponuntur plenius in historia Ecclesiastica apud Eusebium Cæsariensem. 2. Thess. 2. Act. 20.

Rursus cum Berillus Arabum Bostrensium Episcopus negaret dei filiũ ante Mariam uel ante incarnationem fuisse, consultò Philadelphiæ in Arabia coijt synodus, in qua magnus ille Adamãtius Origenes, Berillum firmissimis cũ scripturę testimonijs, tum rationib. euidentissimis reuicit, et in uiã ueritatis & orthodoxę fidei reduxit. Synodi Asiaticæ uariæ.

Obseruabit autem pius Lector in legen

Quomodo Sathan se opposuerit mysterio incarnationis dominicæ ut fidem nostram uerã everteret.

dis horum temporum & mox consequentium per annos trecentos & amplius histo riis, diabolum hostem generis humani uerǽq; salutis nostræ, mox ab initio, sicuti & dominus Matthæi 13. de inimico homine superseminante bono semini zizania, prædixit, grauissima & periculosissima commouisse bella, per suos prophetas, id est hæreticos, contra doctrinam ueritatis simplicem maxime uerò contra salutare mysterium incarnationis domini nostri Iesu Christi. Non est sanè in alio quoquam salus, quàm in hoc uno solóque domino Iesu Christo, uero deo & homine, si modò credamus in ipsum. Quod si hunc saluatorẽ nobis subducere & fidem in ipsum corrumpere potuisset, actum fuisset prorsus de nostra salute. Excitauit ergo temporibus apostolorum Cerinthum & Hebionem, & post istos ingenia alia scrupulosa et peruersa, eorumq; opera disputationes impias inuexit contra adorandam Trinitatẽ (quã tamẽ scripturis fortiter & piè asseruit Tertullianus cõtra Praxeã alijsq; in locis, & alij) neq; aliò pertinebat illa disputatio, quam, cum plures aut tres dij esse non possint,

sint, Filius non credatur esse deus. Si autē deus uerus non sit, quomodo erit saluator noster? Rursus cum hac non successisset, alia uia ingressus, hominem esse negat. Sed si homo uerus non sit, quomodo erit mediator noster? ubi erit preciū redemptionis nostræ? Quomodo erit fidelis Pontifex noster? Præterea alia pluríma quæsiuit diuerticula, sicut postea audiemus. Iam enim redimus in uiam instituti nostri. Idem Origenes in Arabiam quadā alia synodo, eos quoque reuicisse dicitur in historia Ecclesiastica, qui docuerant animas unà cum corporibus interire, ac in resurrectione demū restitui. Cumq; in acerbissimis illis Romanorum Imperatorū persequutionibus plures fideles pœnarum atrocitate superati, negarent Christum, exortus est Nouatus quidam, qui doceret lapsos non iterum recipiendos esse in consortium Ecclesiæ, tametsi eos facti impij pœniteret: neque paucos inuenit, qui ipsi adhæserunt. Proinde conuocata est Romæ non una eam ob rem synodus: conuocata sunt Concilia in Asia quoq; & in Aphrica, per quæ Nouatiani sunt damnati. Horum mentionem facit Cy

Nouatus.

prianus in suis epistolis. Sub eodem celebrata sunt & alia de rebus alijs Concilia, &
Carthaginensis synodus. illud quoq; Carthagini, quo perperam decreuerunt Episcopi, ab hæreticis baptizatos rebaptizandos esse. Extat hoc integrũ in operibus Cypriani. Antiochiæ quoque
Paulus Samosatenus. congregata est synodus contra Paulum Samosatenum, qui de Christo ut puro homine docebat. Etenim Christum ante Mariam non fuisse, ut ait beatus Athanasius, sed ab illa accepisse suæ essentiæ initium blasphemè asseuerabat. Quo nomine damnatus & ex ecclesia eiectus est. Opposuere se huic Samosateno insignia duo ecclesiæ lumina, Dionysius Alexandrinus & Gregorius Neocęsarienſis Episcop. multis etiã miraculis clarus. Extat eius insignis confessio fidei apud Euseb. Cæs. lib. 7. Præterea congregati sunt in synodum Ancyræ apud Galatas aliquot Episcopi. Ex quibus Vitalis Antiochęnus Episcopus Canones aliquot composuit, de illis maxime, qui ex Christianis accumbebant inter gentes, & uescebantur idolothytis, thurificabant, & immolabant idolis, &c. Meminerunt historici & Neocæsarienſis cuiusdam prouin-

prouincialis synodi. Sed præteritis illis, uenimus ad synodum Nicenam, omnium inter omnes synodos primam, præstantissimamq́.

Origo & causa præcipua Nicenæ synodi fuit Arij dogma, quod horribiliter Orientis Occidentisq́ ecclesias uexauit, conturbauit, diuulsit, atque afflixit. Fuit Arius Alexandrinus presbyter, qui declinans à uia doctrinaq́ recta, in superiorum temporum Berilli ac Samosateni similiterq́ sentientium hęresim, circa annum Domini 317. docere cœpit, deũ ante secula (ita refert hęc Athanasius) creasse ac fecisse sibi filium, qui quæ à patre acceperit, prius non habuerit, & iccirco patri æqualis non sit, sed uelut creaturam patri in potentia esse dissimilem, ac imparis dignitatis. In hanc blasphemiam deuenit maximè odio Alexãdri Alexandrini episcopi, quem sibi in episcopatu prælatum, cùm se non inferiorem & uirtute & eruditione existimaret, uehementer dolebat.

Arij dogma, & Arianum incendium.

Ergo dum Alexander aliquando inter presbyteros scrupulosius & contentiosius philosopharetur de adoranda trinitate, &

Ex disputationibus & odijs exortum dissidium.

patre filium generãte, Arius unus ex presbyteris, uir dialecticarum nugarum nõ imperitus, palàm se Alexandro obiecit atque subintulit. Si pater genuit filium, cõsequitur genitum essentiæ suæ habere initium, ac fuisse aliquando tempus, quando filius non erat. Ita sanè hæc refert Socrates. Referũt eadem & alij historici ecclesiastici, ut Eusebius Cęsariẽsis, Theodoretus Cyreensis, & Hermius Sozomenus Salaminius, quorũ fidẽ in his exponẽdis sequor fideliter. Epiphanius Salaminæ Cypri episc. in sua Panaria author est Alexandrum episcopum institutis cum Ario colloquijs, conatum esse illum reducere ab errore putendo: sed cùm nihil efficeret, Ario pertinaciter in errore perstante, & scabiem illã suam alijs affricante, cõgregata frequenti episcoporum synodo, Arium officio priuasse, ecclesiaq; eiecisse, ac ea de re epistolam dedisse ad diuersas orbis ecclesias. Exemplum literarum recitat Socrates in historia.

Arius damnatur.

Arius uerò eiectus, in Palestinã se confert, & quoscunque potest blandiloquentia sua decipiens, errori suo implicat. Qua re iterum commotus Alexander episcopus,

uarias

uarias contra ipsum epistolas scribit. Vnde postmodũ Arius à paucis est receptus, præter quàm ab Eusebio Nicomediensi episcopo, uetere eximioq; amico Arij atque patrono. Et Eusebius hic quòd magnæ esset authoritatis, multos in partes Arij attraxit. Vnde Ariani etiam nucupantur in historia Eusebiani. Dissidium uerò hoc passim per ecclesias non modò perturbationẽ maximam peperit, sed & contemptum, adeò ut gentiles religionem Christianam palàm in theatris etiam traducerent, atque irriderent. Quod cùm optimo Imperatori Constantino, qui Magnus dicebatur, uehementer doleret, ex Hispania Hosium Cordubẽsem, uirũ multiplici eruditione uirtuteq; insignem, euocauit, & Alexandriam in Aegyptum ablegauit, si fortè incẽdium inter Alexandrum & Arium, & his adhærentes exortum cõmodè restingui posset. Addidit suas etiam literas ad ipsos Imperator, quibus & ad concordiam hortatur, & admodum indignatur Alexãdro & Ario, quòd huiusmodi mysteria sympliciter credenda potius quàm curiosè inuestiganda, in certamen adduxerint. Extat ea epistola

la in 2. libro Euſebij de uita Conſtantini.

Concilium Nicenum cõgregatur à Conſtantino.

Cæterùm cùm re infecta rediſſet ex Aegypto Hoſius, Imperator ſumptibus immenſis ſynodum tandem conſcribere ſtatuit, ideoq; Niceam Bythiniæ urbem Concilio deſignat: ad quam Imperatoris mandato ex toto terrarum orbe confluunt doctiſſimi & pijſſimi quiq; epiſcopi. Annum quo hæc facta ſunt, aſſignat in Chronicis Euſebius 324. alij ponunt 328. Euſeb. in uita Cõſtãtini numerat patres 250. Theodoretus & plerique alij hiſtorici omnes recenſent 318. Ita ferè & ipſe Athanaſius. Inter hos fuerunt martyres complurimi, mutilati aliqua in perſecutione corporis parte. Sed & presbyteri multi Epiſcoporum, qui præ morbis & ſenio uenire non potuerãt, legati aduenerunt. Adfuerunt & laici multi, uiri docti & pij. Extruxerat Imperator ido neam cœtui tanto baſilicam, in quam cùm ueniſſent patres, & nobiliora eccleſiæ membra, propoſuit eis librum ſacrum Imperator, iuſſitq; ex eo omnes diſcutere, determinareq; omnes controuerſias. Quod & habitis collationibus plurimis, præſtiterunt, compoſito tandem ſymbolo illo celebri, quod

quod ex loco, ubi cõgregata fuit ſynodus, Nicenum nuncupatur, & in omnium ore per eccleſiã uerſatur. Sed et Athanaſius ad Epiſcop. Aphricæ, Cõgregatis Epiſcopis, inquit, uolentibuſq; uoces impietatis, ab Arianis inuẽtas, tollere è medio, illud ſcili cet quod aiunt, Creaturam eſſe filiũ, Et, Erat quãdo non erat, & literarum ſacrarum uoces certas et confeſſas ſcripto complecti, nimirum ex deo eſſe filium, & natura unigenitum eſſe uerbum, atque adeò uerum deum eſſe, ſicut Ioannes dixit, & ſplendorem gloriæ, formam ſubſtantiæ patris, ut Paulus ſcripſit. Hic Euſebiani, concedentes illa & ipſi, dixerunt, Sumus & nos ex deo. Vnus enim eſt deus, ex quo omnia. Dolo hoc malo intellecto, Epiſcopi collegerunt in unum has uoces ex ſacris literis, Splendorẽ, Fontẽ & Fluuium, Formã cũ ſubſtantia. Et illud item, In lumine tuo uidebimus lumen. Et illud quoque, Ego & pater unum ſumus. Et pro maiori elucidatione ſcripſerunt patri filium eſſe conſubſtantialem. Et reliqua. Huius generis pluri ma tradunt nobis & Theodoretus lib. hiſtor. 1. cap. 18. & Sozomenus lib. 7. cap. 4.

Ioan. 17. 10. 14 17.

Fidem non nouam condunt, sed ueterem scripturis illustrant & cõfirmans.

Sciendum est autem Patres synodi in hac causa fidei, nihil prorsus suo permisisse ingenio aut suo indulsisse arbitrio, sed per omnia sequutos esse scripturam. Nec enim nouum dogma, aut nouum fidei articulum (quod nulli licet Concilio) condiderunt, quin potius quod semper orthodoxi in ecclesia dei crediderunt, Arij uerò impietas iam corruperat, repararunt, adeóque quod uetustum ac uerum & confessum erat, scripturis illustrarũt muniueruntq; contra Arium & contra omnes alios qui paria cum Ario sentiebant & unquam docturi erant. Fuit autem hęc causa de uera filij dei diuinitate, causa præcipua, ob quam Constantinus synodũ illam cõuocarat. Interea uerò acta sunt in eadẽ & alia quędã obiter, ut de Miletianis Nouatianisq;, de paschate item uniformiter per totum terrarum orbem celebrando. Quæ omnia beati patres synodali epistola comprehendentes, ad exemplum Hierosolymitani apostolici Concilij, Alexandrinæ ecclesiæ, Aegyptijs itẽ Libycisq; ecclesijs exposuerunt. Extat epistolæ exemplum apud Socratem historicũ lib. 1, cap. 9. Composuerunt in eadem synodo Ni-

do Nicena patres decreta uel Canones aliquot, de rebus ei seculo necessarijs, pertinentibusq; ad ordinem tranquillitatemq; ecclesiarum. Neque uerisimile est fideles olim tanti æstimasse, aut etiam hodie æstimandos esse hos Canones, quanti fecerunt semper definitionẽ de fide. Etenim si quis urgeat canonem de redeuntibus ad militiam, & ea quæ pœnitentibus imponuntur, quantum ad annorum attinet numerũ, denique quæ statuisse dicuntur de orantibus die dominica, nullis perspicuis scriptu re testimonijs dubitanti poterit approbare. Neque dubium est, optimos illos patres aberraturos fuisse in causa cœlibatus & cõiugij ministrorũ ecclesię, nisi unus Paphnutius ille Thebaicus confessor, cui in persequutione Maximinus dextrũ eruerat oculũ, sinistrumq; succiderat poplitẽ, restitisset, & omnibus persuasisset, hanc rem relinquendam esse cuiusque arbitrio. Extat eius rei testimonium apud Sozomenum lib. 1. histor. cap. 23. Alioqui uerò tanta semper fuit huius synodi authoritas apud omnes sanctos & omnibus seculis, ut postmodum in omnibus consequentibus patrum Con-

Canones Nicenæ synodi.

Authoritas Nicenæ synodi.

cilijs Nicena de fide definitio, pro sacrosan
cta habita, uerissimeq; Athanasius ille ma-
gnus ad Epictetum dixisse credatur, quæ
in synodo à patribus secundum sacras scri-
pturas (obserua mihi hoc secundum san-
ctas scripturas, & discè undè synodis sit iu-
sta authoritas) exposita fides est, sufficiens
est ad omnem destructionem totius impie-
tatis, & ad confirmationem piæ in Christo
fidei. Ita & Ambrosius prętulit hanc omni
bus in orbe synodis. Ac Synodus illa Sar
dicensis celeberrima in Illirico à Constan-
tio Imper. anno domini 351. congregata ex
patribus 251. & ijs quidem doctissimis prę
stātissimis, integerrimisq;, amplexa est, ap
probauitq; & ipsa fidem Nicenam, ut or-
thodoxam, catholicam, omnibusq; sequen
dam seculis, sed & omnes ab hac dissentien
tes rectissime damnauit. Ergo Antisynodi
uarię nihil prorsus sunt à pijs curandæ, quę
diuersis ocis ac temporibus, & tamen non
diu post Nicenam synodum ab Arianæ hę
reseos sectatoribus fautoribusq; sunt con-
tra synodum Nicenam malis artibus cele-
bratæ. Cuius generis sunt, quas referunt hi
storici coactas, Philippopoli in Thracia,

item

item Syrmij Pannoniæ in tractu Sauiensi, Arimini denicp in Italia & Mediolani. Seleuciæ quocp Isauriæ, Constãtinopoli item & Antiochiæ, in Syria, atque alijs in locis. Nam uerbum Domini manet in æternum. At considera hic obiter, an synodi nõ possint errare, cùm hic audias tot & tam celebres contra Christum conuenisse.

Concilium Eliberinũ, Gangrense, & Laodicenum.

Circa hæc tempora testantur historici, testatur & Conciliorum liber, Eliberinam prouincialem synodum, in Eliberide Hispaniarum urbe esse celebratam, Gangrensem quoque coactam in finibus Galatiæ, aut in Paphlagonia cõtra Encratitas & Pepusianos, ac præcipuè contra Eusthatium quendam noua quędam comminiscentem deuitando matrimonio, de nouo & inusitato genere uestitus, de non edendis carnibus, de relinquendis possessionib. &c. Laodicenam, item in Phrygia illa Pacatiana. De quibus data opera nihil dico: quod non instituerim omnia atcp singula describere, aut etiam ordine recensere Concilia. Alioqui enim & Arelatensia Galliæ, & nonnulla alia huius seculi commemorarem.

De Concilio uniuersali Secundo Constantinopoli contra Macedonium, & de Synodo œcumenica Tertia Ephesi cõtra Nestorium celebratis. CAP. XXII.

Constantinopolitana synodus.

SEcundam œcumenicam synodum conuocauit Theodosius ille Magnus, princeps modis omnib. pius, felix & præcellẽs. Conuocauit autem in urbe regia Constantinopoli, & ibidẽ congregata est anno 385. sicut supputat Prosper Aquitanicus, alij ponunt annũ 385. Conuenisse patres ait Prosper 180. Socrates in historia commemorat 150. sicuti & alij plerique. Cogit ea synodus potissimum ob Macedonium, qui fuerat Constantinopolitanus episcopus, & docuerat spiritum sanctum esse creaturam (sicuti cum ipso etiam tradiderant Arius & Eunomius, qui iccirco communi nomine appellantur πνευματομαχοι) nihilq; habere cum patre & filio commune, sed tãtùm esse ministrum & famulũ ipsorum. Ille idem consentiebat reuera cum Ario in cõfessione fidei de filio dei, sed mutatis aliquot uerbis diuersum aliquid habere uoluit uideri, Nam negabat filium patri esse consubstantialem, interim tamen patri per omnia simi-

Macedonius.

lem

lem fatebatur: ſicut teſtatur Theodor. hiſtoriarum lib. 2. cap. 6. Proinde Imperator optimus in hoc incumbebat maximè, ut ecclesias adhuc inteſtinum bellum propter dogma Arij (ut ſuperius dictum eſt) gerentes in concordiam reduceret ſanctam, atq; epiſcopos per unanimem ſynodi Nicenæ fidei confeſſionem, quam arctiſſimè inter ſeſe necteret: deinde & Macedonij dogma de ſpiritu ſancto per eoſdem compeſceret. Ac conſederant iam Conſtantinopoli præſtantiſſima tunc orbis Chriſtiani lumina in ſynodo, Antiochenæ apoſtolicæ eccleſiæ epiſcopus Meletius, Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Gregorius & Nectarius Conſtantinop. ac multi alij uiri præclariſſimi, quos numerat Theodoretus lib. Hiſt. 5. cap. 8. Ex Macedonianis quoque uenerant in ſynodum triginta ſex, inter quos primarij erant Eleuſius Cyzicenus, & Martianus Lampſacenus: qui tamen poſt collationes & admonitiones uarias in ſuo errore perſeuerantes, ſynodumq; & urbem egreſſi, paſſim per urbes proteſtati ſunt, ſe nõ recepiſſe ſymbolum Nicenum, neq; unquam recipere uel-

Socrates lib. 5. cap. 8

le, atque ita, quoscunque potuerunt, attraxerunt secum in barathrum erroris sui ac blasphemiarū. Patres uerò orthodoxi manentes in synodo Constantinopolitana, & Nicenum symbolū amplectentes, concorditer approbarunt, utpote scripturis congruum, & per scripturs, abęresim Macedonianam condemnarunt. Aiunt autem Gregorium Nyssenum, Basilij fratrem, supplesse quod accessit symbolo Niceno de spiritu sancto: quo supplemento etiam plenè contineri definitionem factam à patribus contra Macedonianos. Nam in confessione fidei Niceæ factæ hæc breuia tantùm habemus, καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, Credo in spiritum sanctum. Sed in confessione symboli secundo conditi, quod Constantinopolitanum est, explicatiora sunt, quę ibi breuibus comprehensa sunt, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον. Et in spiritum sanctum dominū uiuificatorem, ex patre procedentem, & cum patre & filio coadorandum & conglorificandum. Quibus & hæc secundum scripturas confitenda addiderūt, Qui

Definitio Concilij.

locutus est per prophetas in unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Expecto resurrectionem mortuorum, & uitam uenturi seculi.

Qui locutus est per prophetas, idem spiritus & in apostolicam ecclesiã uel per Apostolos locutus est in ecclesia apostolica.

Scripserunt præterea patres synodi Synodicam epistolam ad Damasum, Ambrosium, & alios Occidentis episcopos, Romæ quoque ob hæreses confutandas, ueramq; fidem confitendam, muniendamq; congregatos, satis copiosè exaratam, de ijs, quæ in hac synodo secũdum scripturas contra omnes hæreses statuerant. Exemplum epistolæ extat apud Theodoretum in histo rialib. 5. cap. 9. Composuerunt præterea in eadem synodo patres aliquot canones pro rationeillorum temporum & ecclesiarũ. Numerantur uerò 7. Canones. De quibus iam non est dicendi locus.

Concilium Romanum.

Post istam synodum celebrata sunt & alia in orbe Christiano Cõcilia, quæ non inter uniuersalia numerantur, ut Romanum illud, cuius modò meminimus, & quod per omnia consensit cum Constantinopolitano. Aliæ sunt prꝛterea synodi paulò post illam celebratę Constãtinopoli, & alia quę-

dam Aquileię: cui præfuit Ambrosius, nulla ibidem mentione facta Romani episcopi, qui præsidere debuerit. Maximus quoque Imperator Treueri synodum indixit, cui beatus Martinus Turonensis, & beatus Ambrosius Mediolanēsis episcopi, & Hieronymus presbyter interfuisse dicuntur. Celebrata fuit illa quoque contra Arianos, tunc in Occidente & in Italia maximè sub patrocinio Iustinæ Imperatricis herbescentes. Sed & Carthagini in Aphrica aliquot etiam congregata sunt Concilia. Floruit tunc quoque Augustinus Hipponensis episcopus, qui Concilio Carthaginensi tertio interfuit & quarto: ubi decretum inter alia fuit, ut episcopus non longè ab ecclesia suum hospitium, item ut uilem suppellectilem, & mensam & uictum pauperem habeat, & fide uitæq; integritate sibi paret authoritatem, ut rebus ecclesię tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur. In Hispania coactum fuit Concilium Toleti contra Priscillianum, contra quem antea quoque in Gallijs Burdegali conuenerant episcopi, eundēq; impietatis impuritatisq; condemnarant. Sic in Mileuitano Concilio

Synodus Treuerēsis

Carthaginensia Concilia.

Toletanū Concilium.

lio, ut & in posterioribus Arausicanis, aliisq; per orientem & occidentem celebratis synodis, condemnati sunt iustissime per scripturas Pelagiani: ac in compluribus diuersis locis temporibusq; Donatistæ, quorum initium referunt alij ad annum 331. & contra quos plurima cõscripsit beatus Augustinus. Sed omissis istis, uenimus ad œcumenicam synodum tertiam, Ephesi congregatam in Asia.

Pelagiani & Donatistæ.

Nestorius Syria oriundus Constantinopolitanæ ecclesiæ Episcopus, homo alioqui facundus, sed indoctus, audax item & superbus, omniumq; scripta ueterum fastidiens, ita se instructum putabat, loquacitati suæ confisus, ut arbitraretur nihil se indigere ueterum lectione, sed omnia scripturarum tenere mysteria. Ergo de naturis in Christo, homo confidens & ignarus, ita differebat, ut unitatem personæ palàm solueret, nec unã, sed duas facere uideretur personas, unam nempe diuinitatis, humanitatis alteram. Ideoq; uetabat contra scripturas uirginem matrem nuncupare Deipara, negabat deum esse crucifixum & mortuum. Contendebat enim deum nec nasci

Nestorius.

posse, nec crucifigi, neque mori. Adhęc docebat uerbum homini Christo adfuisse per assistentiam (ut loquebatur) seu societatem, id est, deum non aliter esse in Christo, quàm in prophetis, in apostolis, aut reliquis sanctis, nec fuisse duas naturas in Christo unione (quam uocant) hypostatica unitas. Vnde nec Christum iam dei filium natura, sed adoptione, siue (ut ipse dicere solebat) merito, plerisq; facere uidebat. Quid autem Socrates de eius sensérit sententia, uidere est historiarum lib. 7. cap. 32. Dissérit eadem de re quædam & D. Lutherus, in libello suo De Conciliis Germanicè scripto. Neque deerant qui Nestorij dogma tunc ornare tueriq; pergerent. Opposuit se autem omnibus Cyrillus Alexandrinus Episcopus: quocirca exorta sunt in ecclesijs maxima certamina. Proinde Theodosius eius nominis. 2. etiam iunior nuncupatus, princeps optimus, ut rursus conturbatas componeret ecclesias, maiorum suorũ sequutus exemplum, literas misit per orbem ad Episcopos, conuocãs hos ad synodum, quam uelit Ephesi in Asia coire. Ac in eos se animaduersurum dixit, qui nõ obedienter

Ephesina synodus.

ter compareant. Ergo anno domini 434. iuxta Prosperi supputationem (Alij enim ponunt annum 435.) à feriis paschatis adueniunt Ephesum frequentes Episcopi. Inter quos erant, ipse Nestorius Constantino politanus Episcopus, Iuuenalis Hierosolymorum, & Cyrillus Alexandrinus. Numerantur in uniuersum qui eò conuenerunt patres CC. Ioannes Antiochenus Episcopus, cum alijs compluribus Orientalibus Episcopis, tardius propter itineris difficultatem aduenit. Præsentes ergo, inter quos præcipui erant Cyrillus Alexandrinus & Memnon Ephesinus Episcopi consederũt, Nestoriumq; in concessum, ad respondendum ad accusata, uocarũt. Ille uerò neque tertiò quidem uocatus comparuit. Sed dicebat se expectaturum in aduentum usque Ioannis. Vnde isti quæstionem motam nihilominus tractare, & Nestorium condemnare perrexerunt. Extant autem aliquot Cyrilli Alexandrini anathematismi, in quibus uera doctrina contra falsam Nestorij expressa putatur. Inter illos tertius ita habet, Si quis in Christo diuidit hypostases, uel substantias post unionẽ, dicens uerbũ

coniunctū fuisse homini societate uel potestate nō naturali unione, anathema sit. Ante omnia uerò approbauerunt & amplexi sunt omnes concorditer symbolum Nicenum, ut certissimam orthodoxæ fidei regulam. Cęterùm, qui cum Nestorio faciebāt, collecto & ipsi concilio, Cyrillum & Memnonem, & qui cum ipsis erāt, damnarūt, sicut scribit Socrates lib. 7. cap. 34.

Admirabilis turba in hac synodo exorta.

Ioannes interea Antiochenus antistes cum suæ prouinciæ episcopis, inter quos erāt insignes pietate & doctrina uiri Achatius Beroensis, Paulus item Emyssenus, & Ibas Edessenus aduenit, & cùm perturbationem episcoporum non modicam comperisset, Cyrillo uelut authori conturbationis, & quòd festinasset, nec expectasset Orientales, indignatus, & ipsum deposuit, & Memnonem. Hi uerò libellis synodo oblatis, sese purgant. Proinde uocauit synodus Ioannem, ut rationem depositionis illorum redderet. Ille autē non comparuit, sed cum suis, relicta Epheso, in Orientem rediit. Patres itaq; Cyrillum & Memnonem à sententia depositionis absoluerunt, atque Orientales deiecerūt. Accessit

Euagrius lib. 1. cap. 5.

ceſſit his malis & hoc, quod Oriẽtales non recte doctrinã Cyrilli intelligentes ſuſpicabãtur ipſum omnino cũ Apollinario naturas in Chriſto uelle confundere, proinde Theodoretũ Cyrenſem epiſcopũ, uirũ doctiſſimum & eloquentiſſimum iuſſerũt reprehenſiones ſcribere aduerſus anathematiſmos Cyrilli. Quod cùm feciſſet, damnatus eſt Cyrillus, & ſede quoque ſua eiectus, Imperatoribus Theodoſio atque Valentiniano Iunioribus ita uolentibus. Cyrillus ergo protinus apologiam oppoſuit Theodoreti reprehenſionibus, ac perſpicuè declarauit ſuam ſententiam, oſtendens ſe nihil commune habere cum Apollinario uetere hæretico: ac inter alia, Aliud eſt, inquit, dicere pati in carne, & aliud ſimpliciter dicere pati diuinitatis naturam. Quia enim idem deus ſimul eſt ac homo, impaſſibilis quidem quantum ad diuinitatis attinet naturam, paſſibilis uerò ſecundum humanitatem. Quid hic abſurdi, ſi dicatur patiri eo, quod pati poteſt, qui mãſit impaſſibilis in eo, quod pati nõ poteſt? &c. Ea declaratione facta & apologia exhibita Imperatoribus, nõ his modò, ſed & omnibus

Declarat ſuã ſententiam Cyrillus.

Orientalib. satisfecit episcopis, qui & cum eo omnes redierunt in gratiam, & synodo Ephesinæ, depositioniq; Nestorij subscripserunt. Conquieuerunt itaque per dei gratiam ad tempus concertationes illę graues in ecclesia, super illa uidelicet quæstione contra Nestorium motæ: sed excitata est protinus alia, illa non minus intricata.

De Eutychis prauo dogmate, primùm quidē reiecto in synodo Constantinopolitana, mox tamen approbato in Ephesina. 2. Postremò tandē damnato in uniuersali Concilio Chalcedonēsi. Et de authoritate quatuor œcumenicarū synodorum. CAP. XXIII.

Eutyches & hæreticum eius dogma.

DIabolus enim, cui ecclesiarum concordia acerbissima & intolerabilis est, qui & mysterium incarnationis dominicæ obscurare, atq; adeò modis omnibus semper abolere contendit, circa annū domini 449. Eutychen excitauit, qui peregrinum de confusione naturarum in Christo (quod tamen in Ephesinæ synodi primæ certaminibus inter Cyrillū & Theodoretum habitis, abunde tractatum atq; confutatum fuerat) reparauit, atque ita noua & inauspicata prælia in ecclesiam Christi induxit,

duxit. Fuit Eutyches monachus & Archimandrita uel primas Solitariorum (Archimandritæ enim monachicarum secessionum & latebrarũ antistites erãt, quos Græci nuncuparunt ἀββανοὺς, Latini abbates) Constantinopolitanus, qui diuersam à Nestorio doctrinam excogitans, duas in Christo naturas confundebat, ut humanã quidem naturã à diuina fateretur assumptam, sed adderet assumptionis conditione abolitam esse, atque ita non mansisse in Christo amplius, quàm diuinam naturam. Iccirco hominẽ deo absumebat, nec tribuebat cuique naturæ suas proprietates. Verbum enim mortuum esse contẽdebat, & naturam humanam ipsam esse uerbi naturam asserebat. Ita uerò totius ecclesię sanam & scripturis traditam doctrinam de communicatione idiomatum auferebat è medio. Beatus Vigilius martyr & episcopus Tridentinus lib. contra hæreses 2. inter se cõfert Nestoriũ & Eutychen, & inter alia, Nestorius duas, inquit, inducendo naturas, duas putauit esse personas, & ob hoc arbitratus est sacrilego dogmate duos Christos inducere. Eutyches respiciens unam personam,

Naturarũ proprietas in Christo sublata.

unam censuit esse naturam: & ob hoc humanam ausus est denegare. Et quia est in Christo & naturarum proprietas, & personæ unio, Nestorius proprietatem attẽdendo naturarum, à personæ excidit unione, & duos putauit Christos, unũ passibilem, alterum impassibilem esse. Eutyches uerò unam intuendo personam, à naturarũ proprietate desciuit, & ipsam diuinitatem asseruit passam. Hæc ille. Et quidem lubrica erat hæc tractatio, & est etiam hodie, ita ut cernamus in hac causa impegisse, & impingere adhuc plurimos, qui dũ carbonariam, quod prouerbio dicitur, uitare uolunt, incidunt in calcariam. Vnde & Vigilius eodem in libro, Vides quanti periculi res sit, inquit, aut unam in Christo non credere personam, aut duas nolle profiteri naturas. Magni ex utroq; latere insidiarum laquei prætenduntur. Hinc enim Eutyches, inde Nestorius armati perfidię mucronibus adstant. Dum unam contra Nestorium, Christi defendo personam, existimor secũdum Eutychen humanã negare naturam. Dum contra Eutychen duas assero naturas, existimor secundum Nestorium duas profiteri per-

Res plena periculi.

ri personas: quia ille duabus naturis duos Christos, duasq; personas credidit ascribendas. Et reliqua. Quæ omnia ideò commemoro paulò cõtra institutum nostrum copiosius, ne mireris, si istorũ temporum historiam legens, uideas omnia rixis impexis, & dissensionibus acerbissimis fuisse obnoxia. In tantam certè concertationem hæc res peruenit, ut non potuerit plurimis etiam celebratis Concilijs componi. Nam qui postea damnabãtur in Quinta & Sexta synodo Constantinop. ex his Eutychis & Nestorij uenenatis fontibus suam, quam tradebant doctrinam, imbiberant.

Qui Eutychen oppugnarint.

Porrò Eutychi opposuerunt se fideles Christi serui, Flauianus Constantinopolitanus episcopus, & Leo Romanæ ecclesiæ antistes, eius nominis primus, cuius adhuc extant elegantes, piæ, & scripturarum patrumq; ueterum testimonijs munitæ hoc de negotio epistolæ, illa imprimis, quã scripsit Flauiano, quæ ordine 5. est, illa deinde quam misit ad Palestinos, quæ ordine est 4. & illæ quoque, quæ scriptæ sunt ad Leonem Augustũ, ac ordine numerantur 53. & 54. Flauianus Constantinopoli congre

gatà ſynodo particulari, dogma Eutychis exuſſit atq; condemnauit. Doluit hoc uehementer Chryſaphio tunc prætorio præfecto, & ijs omnibus, qui faciebant cum Eutyche. Neque enim paucos ſibi adhærentes habebat. Eorum demũ opera indefeſſa factum eſt, ut Theodoſius Imperator alteram ſynodum euocaret ex omnibus epiſcopis Epheſum (dicitur hęc ſynodus Epheſina ſecunda) iuberetq; cauſam Flauiani & Eutychis excuti ac iudicari. Præſidebat ei ſynodo Dioſcorus Alexandrinus epiſcopus, qui Cyrillo fuerat ſurrogatus, & Eutychis maximus erat propugnator, hoſtis uero Flauiani acerrimus. Venerũt in hanc ſynodum alij quoque uiri præcellentes, ut Iuuenalis Hieroſolymorũ epiſcopus, & multi alij, qui interfuerãt ſynodo Epheſinæ primæ, in qua damnatum audiuimus Neſtorium. Cæterùm in hac infelici ſanè ſynodo approbatum eſt impium Eutychis dogma, damnatus eſt etiam orthodoxus epiſcopus Flauianus, nec non dampatus, ſed inſuper proturbatus ex ſynodo, & ita abundè crudelium pedibus proculcatus, ut triduo pòſt moreretur. Zonaras enim in hiſtoria narrat

Epheſina ſynodus 2. pro Eutyche.

Flauianus occiſus.

rat Dioscoro ab Imperatore curationem illius synodi mandatam fuisse, ac ipsum Eutychis dogma defendisse, reclamante Flauiano, in quẽ ita efferbuerit ira, ut non modò uerbis contumeliosis Flauiano insultarit, sed tanquam ferox asinus calcem impegerit pectori Flauiani, & pugnis malas contuderit tanta cũ sæuitia, ut paulò post moreretur Flauianus episcopus Constantinopolitanus. Damnabatur in eadem synodo & Ibas Edessenorum episcopus, Irenæus Tyrius, Daniel Charrensis ex Mesopotamia, Domnus Antiochenus, qui Ioanni successerat, Theodoretus ille Cyrensis episcopus, & multi alij uiri pij & docti. Circunsteterunt Concilium hoc armati, quos Chrysaphius eunuchus adduxerat secum: unde metus undique congregatis episcopis iniectus est. Omnia denique huius synodi sic instituebantur, ut à ueteribus nuncupata fuerit λῃστρικὴ, quod perinde est ac si tu dicas, prædonum uel latronum concursus. Subscriptiones certè ex sententia Dioscori perfectæ fuerunt, puris chartis consultò oblatis, in quibus postea suo arbitrio Dioscorus decreta perscribi curauit. Ea ex re

uulnus acerbum & scandalum grauissimũ accepit ecclesia Christi: ac mansit interim odiosa in ecclesia Christi concertatio super dogmate impio Eutychis, nec potuit causa hæc legitime cognosci usque ad tertium Martiani Imperatoris principatum. Theodosius cuius auspicijs coierat utraq; synodus Ephesi, antequam moreretur agnouit errorem, et culpam in uxorem Eudoxiam Eutychi fauentem reiecit, nec diu post illam synodum uixit.

Concilium Chalcedõ.

Mortuo ergo Theodosio iuniore præficitur imperio Orientali Martianus, qui cũ & ipse pius & cordatus esset princeps, ac ideò dissidia illorum Episcoporũ infelicia componere, ac syncerã de mysterio incarnationis dominicæ doctrinam restitui cuperet ex animo, ac rogaretur etiam à Leone Rom. præsule & alijs episcopis, ut causam illam legitima synodo examinandam subijceret, Chalcedoni (quæ è regione Constantinopolis sita est ciuitas) indicit synodum, & ad hanc omnes totius orbis Christiani Episcopos conuocat. Et ista appellatur quarta œcumenica synodus. Cœpit illa anno domini 554. (alij ponunt 555.) & con-

& conueniſſe dicuntur patres 636. Congregatis autem his in templo, medium ſe inter ipſos collocauit Martianus Imperator, ut diſputationes uehementiores & affectiones Epiſcoporum quorundam ferueniores moderaretur atque compeſceret. Modum enim iſti finesq; modeſtiæ in ſynodis aliquot præterierant. Recitantur autem Martiani uerba in ſynodo habita ad patres, à Gratiano Diſt. 96. in hunc modũ, Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam, exemplo religioſiſſimi principis Conſtantini, ſynodo intereſſe uolumus, ut ueritate inuenta, non ultra multitudo prauis doctrinis attracta diſcordet. Poſt longa tandem certamina, effecit Imperator religioſiſsimus, ut reciperentur ab omnibus ſymbola & decreta de fide catholica ſynodi Nicenæ, Conſtantinopolitanæ & Epheſinæ 1. damnarentur uerò unanimi conſenſu tam Neſtorius quàm Eutyches, unà cum Dioſcoro Alexandrino, qui præfuerat Epheſinæ ſynodo 2. Reſtituti ſunt autẽ depoſiti in ſecundo Epheſino Concilio, ut Ibas & Theodoretus & alij. Acta huius ſynodi extant apud Nice-

Marciani Imperat. pietas.

phorũ in hiſtoria et partim etiã apud Euagrium hiſtor. lib. 2. cap. 4. Ex quo definitionem ſynodi in gratiam lectorum hic aſcripſimus.

Definitio ſynodi Chalcedõ. de myſterio incarnationis domini cæ orthodoxa.

Sanctos itaque patres ſequentes, unum & eundem confitemur Filium dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & concorditer docemus omnes, eſſe eum perfectum in diuinitate, & eundem perfectum eſſe in humanitate, uerum Deum & uerum Hominem, eundem ex rationali anima & corpore, coeſſentialem patri ſecundum diuinitatem, & coeſſentialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem, dempto peccato: ante ſecula genitum ex patre ſecundum diuinitatem, poſtremis uerò diebus propter nos & propter noſtram ſalutem, ex Maria uirgine & deipara ſecũdum humanitatem, unum & eũdem Ieſum Chriſtum Filium dei dominum & unigenitum in duabus naturis, inconfuſe, inconuertibiliter, indiuulſe & inſeparabiliter manifeſtatum: haudquaquam differentia naturarum propter unitatem ſublata, ſed magis utriuſque naturæ (in unam perſonam & unã hypoſtaſim concurrentis) proprietate ſeruata: non

1. Tim. 3.

ta:non ut in duas personas bipartiatur aut diuidatur,sed ut sit unus & idem filius unigenitus, deus uerbum & dominus noster Iesus Christus:sicut de illo olim prophetæ uaticinati sunt, & ipse nos Christus instruxit,ac patrum nostrorum symbolum tradidit.Hisce itaque à nobis cum omni diligentia & cura expressis, determinauit sancta & œcumenica synodus,nemini licere aliã fidem adferre, aut conscribere aut componere,uel sentire uel docere alios. Hactenus synodi definitionẽ recitauimus: quam necesse ac utile est omnes fideles memori mẽte retinere, & nullo modo in ullas deflecte re peregrinas hæreticasq; opiniones, sed synceram hanc fidem de mysterio incarnationis dominicæ profiteri simpliciter. Hæc est uera fides.

Hæc dixi hactenus & obiter quidem de 4. œcumenicis siue uniuersalibus Conciliis ecclesiæ ueteris. Et illa fatetur Gregorius Romanus Episcop. eius nominis primus ita se recipere ac uenerari, ut quatuor euangelia. Ita enim citat ipsum Gratianus in opere suo Decretorum Dist. 15. Quamuis autem definitionibus de fide propositis nobis, per ista 4. Concilia œcumenica Authorit. 4 quatuor œcumenicarum synodorum.

rihil prorsus uelim derogatum, utpote qui illas citra omnẽ cõtradictionem recipiam, & uenerer religiosissime, potiorem tamen authoritatem sanctis scripturis tribuo, quã ullis Conciliis. Illis enim sine alio testimonio, propter semetipsas, credo. Conciliorum uerò definitionibus non credo, nisi ea quæ uel credenda uel facienda aut omittenda proponunt, per scripturas sanctas approbare possint. Ita iudicauit de ipso quoque Niceno Concilio, cuius authoritas inter quatuor illa præcipua est, beatus Augustin. disputans cum Maximino Arianorum Episcopo. Senserunt & alij sancti patres differentes de Conciliis, scripturarũ authoritatem potiorem esse. Et Leo Romanus Pontifex fatetur in dogmatibus fidei orthodoxam esse synodum Chalcedonen, improbat autem quæ circa Anatholium attentata fuerunt. Legantur eius epistolæ, maxime 30. 31. item 28. 29. De qua re ante quoq; dixi nonnihil. Et Hieronymus in epistola ad Minervium & Alexandrũ, Nec, inquit, iuxta Pythagoræ discipulos præiudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ

Cur nõ omnia patrum & Cõciliorum simpliciter recipiamus.

factionis

factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco? sciat me illud apostoli libẽter audire, Omnia probate, quod bonum est tenete: & Saluatoris uerba, dicentis, Estote probi numularij, ut si quis numus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur: qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium reconditur? Et paulo infrà, Meum propositum est, inquit, antiquos legere, probare singula, retinere quæ sunt bona, & à fide ecclesię non recedere. Hæc ille. Hoc ipsum respondemus & nos obijcientibus atque interrogantibus, Cur non omnia Conciliorum patrúmque simpliciter recipiamus, qui quædam recipiamus, quædam uerò repudiemus? Quoniam ea duntaxat approbare possumus, quæ cum uerbo ueritatis congruunt. Ac certum est Concilia & Patres nõ rarò aliena à uerbo domini decreuisse, docuisse, atque defendisse.

Basiliscus Imperator Græcus reijcit Chalcedonensis synodi decreta, quæ tamen mox iterum probat. De Concilio uniuersali Con

ſtantinopolitano quinto, & ſexto, grauibuſq; Orientalium Eccleſiarum diſſidijs.

CAPVT XXIIII.

NOn poſſum in præſentiarum diſſimulare, quin paucis hic quoque commemorem, definitionem illam Chalcedonen. ſynodi luculentam ac ſcripturis ſanctis ſuffultam atque roboratam temerè imò impiè à Baſiliſco imperatore Græco, reuera Baſiliſco ſerpente uenenatiſsimo, fuiſſe cõdemnatam. Cum enim regno Zenonis inſidiaretur, ut hoc fauore & auxilio Epiſcoporum conſequeretur conciliare ſibi uoluit plurimorum Epiſcoporum imò pſeudoepiſcoporum Eutychi fauentium gratiam, unde his inſtigãtibus, edictum propoſuit, quo approbabat quidem 318. patrum Niceæ cõgregatorum, & 150. Conſtantinopoli, item 200. patrum Epheſi conſidentiũ definitiones de fide, reprobabat autẽ Chalcedonen. ſynodi decretum. Edicto impio multi ſubſcripſerunt Epiſcopi. Ipſum recitat integrum Euagrius hiſtoriarum lib. 3. cap. 4. Acta ſunt hæc circa annum domini 479. annis circiter 24. à celebrata Synodo Chalcedonen. Præcipuus uerò Imperatoris

Baſiliſcus Imperator.

ratoris instigator fuisse dicitur Petrus Gnaphæus Antiochenus Episcopus, & quidã Timotheus, homo turbulentus & sceleratus, qui olim propter crudelia facinora relegatus fuerat in exilium, nunc autem reuocatus ad turbandas Christi ecclesias. Timotheum hunc uidentur notare Definitiones ecclesiasticę, quæ inter alia de Christo, in hæc uerba statuunt, Non duos Christos, neque duos filios fatemur, sed deum & hominem unum, filium: quem propterea & unigenitum dicimus, manentem in duabus substantijs, sicut ei naturæ ueritas contulit: non confusis naturis neq; immixtis sicut Timothiani uolũt, sed societate unitis. Et reliqua. Euagrius uerò author est, Basiliscũ postmodũ edictũ illud suum aboleuisse, atque approbasse Chalcedonen. synodi decreta. Cæterũ nõ magnifaciẽda esse huiusmodi instabiliũ & prophanorũ hominum iudicia, sensus ille cõmunis dictat.

Timothiani.

Quæ uerò in Quinta & Sexta synodo Constantinopolitana sunt discussa de mysterio incarnationis dominicę, prius etiam in Ephesina & Chalcedonen. synodo fuerunt tractata. Sufficere ergo illa potuissent

In 5 & 6. Constant. synodo repetuntur et reparantur in priori. D. Concilijs tractata.

& ſufficiebant pijs, & minime contentioſis omnibus, niſi rixatores & impij hæretici ſuo illo inhærẽtes luto, & ſuis ſeſe tenebris contegentes, ueritatem ſubinde obſcuraſſent, & errores ueteres nouis fucauiſſent coloribus, atque ita ſimplicioribus impoſuiſſent. Ideo enim coacti ſunt eccleſiarum præſides in ſynodis retegere abſterſo omni fuco impoſturas, & ueritatem ſimplicem ſubinde reparare, proutres & tempus poſtulabat. Etenim à temporib. Epheſinæ & Chalcedonenſis ſynodi & amplius nunquam defuerunt, qui nefanda Neſtorij & Eutychis dogmata & fouere, & paulatim ſerere pergerẽt. Ex quibus quidam Theodorus Cilix è Mopſocrene Neſtorij hæreſim renouans, ſic naturas perſonasq; diſtinguebat in Chriſto, ut deum & hominem Chriſtum è uirgine natum eſſe negaret, nec permitteret natiuitatem niſi homini. Quo ſuo dogmate naturarũ unionem uel coniunctionem palàm impugnauit, ſed & amplius ſuſpicari uidebatur, Chriſto genito iam ceu puro prius homini naturam diuinam ſuperadueniſſe, & ſic unctum eſſe. Cæterùm cùm ſcriptura dicat aperte, Verbum

Theodorus Cilix Neſtorianus.

bum caro factum est, significat manifestè prorsus nō purum hominem, sed deum uerum simul & hominem natum esse in mundum. Hanc doctrinam defenderunt multi uiri per Oriētem boni: multi uicissim Theodori impium dogma approbarunt. Iustinianus ergo Imperator conuocata Cōstantinopoli synodo (quæ uulgò nuncupatur Quinta uniuersalis) effecit, ut reciperētur decreta de fide quatuor œcumenicorū Cōciliorum, de quibus antea dictum est abunde, damnareturq; Theodori dogma, damnarentur item Anthymus, Petrus, Seuerus & Zoaras. Acta sunt hæc anno Domini 551. Aiūt in hac synodo multum fuisse disceptatum de origine & dogmatibus quibusdam Origenicis. De quibus iam non est dicendi locus.

Quinta synodus Constantinopolitana.

Porrò 12. anno Constantini Pogonati uel Barbati, anno Domini 681. conuocata est ab Imperatore Constantinopolim synodus œcumenica 6. in qua conuenisse dicuntur episcopi 289. Erant illis temporib. qui traderent in Christo dūtaxat unam esse uoluntatem, uidelicet diuinam. Vnde & μονοθελητὰι nuncupabātur: quod perin-

Monotheliæ Eutychiani.

de est, ac si tu dicas, uniuoluntarij. Reflorebat in his pestis Eutychiana. Coryphæi huius sectæ præcipui erant Athanasius Hierapolitanus, Macharius apostolicæ Antiochenæ ecclesię prę sul, Gregorius item, Sergius & Pyrrhus, illius in sede Constantinopolitana successor, & quidam alij. Testantur historiæ Imperatorem ab initio synodi hortatum esse episcopos, ut omissis rixis amanter colloquerentur, & ueritatem simpliciter inquirerent, non admixtis disputationibus peregrinis. Recepta sunt autem approbataq; tandē in synodo illa quinque superiorum uniuersalium Cōciliorum de fide decreta, & damnati Monothelitæ. Extant in tomis Conciliorum harum duarum synodorum acta quædam.

Granissima Orientis duſſidia.

Et quamuis ueritas euangelica & apostolica de mysterio incarnationis dominicæ per scripturas sanctas imprimis, deinde etiam per perspicuas synodorum istarum sex declarationes apertissimè & simplicissimè esset asserta atque exposita, errores tamen blasphemi ex animis multorum eximi non potuerunt, quin ipsi hæresibus nefandis inhærentes, dissidia per Orientem longè

longè lateq; spargerent, & ecclesias grauiter perturbarent. Horret sanè animus, quoties recogito, quàm funestos luctus, quàm acerba iurgia, & quàm pestifera schismata, & quãta scandala & uulnera ecclesiæ Christi inflixerint Nestoriana (ut iam de Arianis nihil dicam) Eutychiana ac Monothelitica monstra. Infecti fuerunt hac peste aliquot Græci Imperat. qui Episcopos nunc deiecerunt, mox euexerunt, atque ita turbarũt totum propè Orientem, ut miser populus quo se uerteret aut quid crederet propemodum ignoraret. Debemus sectis illis irreconciliabilíq; dissidio Machometanam illam pestem, & quod totus propemodum Oriens à Christo ad Machometũ defecit. De quo iam non est uel dicẽdi uel lugendi tempus.

Machometrimus ex istis diuidijs.

Synodos illas sex omnia de fide decreta sua ex scripturis accepisse. Et quodnam sit uerum de fide dominicæ incarnationis compendium. CAPVT XXV.

Sicut autẽ in grauissimis istis turbis omnes pij & fideles perpetuò certum illud doctrinæ genus de incarnationis domini-

cę mysterio syncerum, quemadmodũ defi nitionibus istarum synodorum illustratum quidem, per scripturas autem traditum est abundantissime, fideli mente retinuerunt, neque aliena dogmata huius fecerunt, & ab hæreticis quàm longissime recesserunt: ita præstat hodie quoque calcatis exoticis quæstionibus atque opinionibus, in fide confessioneq; orthodoxæ & catholicæ fi-

Christus uerus deus.

dei perseuerare. Nam clara & certa habet hæc res in scripturis sanctis testimonia. Ieremias, ut de testimonijs aliorum prophetarum nihil dicam, apertè appellat Christũ deum Iehouah iustitiam nostram. Ioannes apostolus uocat ipsum deum uerum & uitam æternam, uerbum item æternum, apud deum, per quod omnia sint condita, nec ullam ait creaturam extare, quę non sit per ipsum cõdita. Idem author est, Iudæos intellexisse, quod deo se faceret æqualem: quod manifeste legitur Ioan. cap. 5. & 10. In eodẽ eius euangelio dicit ipse dominus, Antequam Abraham esset, ego sum. Et ad cæcum illuminatum dicit, Credisne in filium dei? Illo autem rogante, Quis est domine, ut credam in eum? audit, Et uidisti eum

Ier. 23. 33. Ezech. 34. Isa. 40.

1. Ioan. 5, Ioan. 1.

Ioan. 8.

Ioan. 9.

cum, & qui loquitur tecum. Ac sequitur apud Ioannem, Ac cæcus ait, Credo domine, & adorauit. Nam ipse dominus iterum de se loquens, Creditis in deum, inquit ad apostolos, & in me credite. Item, Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Et iterum idem ad patrem, Et nunc glorifica me, ait, tu pater apud temetipsum gloria, quam habui priusquam hic mũdus esset apud te. Rectissimè ergo Thomas procidens ante pedes domini, clamauit, Dominus meus, & Deus meus. Verissime dixit Paulus, Ex patribus est Christus, quantum attinet ad carnem, qui est in omnibus deus benedictus in secula. Et iterum, Per hunc secula condidit, qui est splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ eius. Proinde rectissime definierunt patres contra Arium, filium per omnia patri esse consubstantialem & coęqualem.

(Ioan. 14.) Ioan. 17. Ioan. 20. Roman. 9. Hebr. 1. Coloss. 1.

Neque minus certa & clara sunt ueræ humanitatis in Christo testimonia scripturarum, utpote cuius genealogia ad Dauidem, inde ad Abrahamum, & postea ad ipsum quoque Adamũ usque extenditur,

Christus est uerus homo.

ut nihil de ueritate humanæ naturæ à quo-
Luc. 1. et 2. quam dubitetur. Idem dicitur apertè ſemẽ
Math. 1. mulieris, & fructus uentris, ex lumbis Da
uidis. Matris nomen editur in euangelio,
& conceptionis ueræ modus indicatur, na
tiuitas uera deſcribitur, & omnes hominis
ueri proprietates ipſi tribuuntur. Quid
quod Ioã. dicit, Per hoc cognoſcite ſpiritũ
1. Ioan. 4. dei, Omnis ſpiritus q̃ cõfitetur Ieſum Chri
ſtũ in carne ueniſſe, ex deo eſt: & omnis ſpi
ritus qui nõ confitetur Chriſtũ in carne ue
Hebr. 2. niſſe, ex deo non eſt. Paulus quoq; manife
ſtiſsime dixit, Poſtquã pueri cõmerciũ ha-
bẽt cũ carne & ſanguine, ipſe ſimiliter par-
ticeps factus eſt eorũdem. Nec aſſumit an-
gelos, ſed ſemẽ Abrahæ aſſumit. Orthodo
xe itaque definierunt patres, Chriſtum no
bis ſecundum humanitatem eſſe conſub-
ſtantialem.

In Chriſto ſunt duæ naturæ im-permixtæ in una indi-uiſa perſona.

Iam uerò myſterium unionis naturarũ
in una perſona tam manifeſte in ſcripturis
exprimitur, ut non potuiſſet expreſsius.
Micheas enim dixit, Chriſtum prodituru
ex Bethlehem, eiuſdemq; exitum uel ema
nationem eſſe à diebus æternitatis. Prior
Iſaiæ 7. enim dixerat Iſaias, Ecce uirgo concipiet

& pariet

& pariet filiũ, & uocabis nomẽ eius Immanuel. Quod etiam Angelus uirgini exponit, Lucæ 1. Sed & Dauid dixit, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Pſal.110. Quod etiam exposuit dominus de semetipso uero deo & homine apud Matth. in capite 22. Omniũ uerò clarissimè dicit Ioannes, Verbum caro factum est, & habitauit Ioan. 1. in nobis. Ita Paulus dixit, Euangeliũ promisit deus in scripturis sanctis de filio suo, Rom. 1. qui genitus fuit ex semine Dauidis secundum carnem, qui declaratus fuit filius dei per potentiam, &c. Et iterum, Vnus, inquit, est deus, & unus mediator dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. 1. Tim. 2. Sed quid posset uel fingi illustrius, quàm quod dixit idem Apostolus, Christus Iesus cùm esset in forma dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, &c. Philipp. 2. En in eodem Christo domino reperitur & forma dei, & forma serui, uel figura hominis. Idem ergo est deus uerus & homo uerus, retinens in

unitate perſonę indiuulſas naturarum proprietates, diſcretas, ac inconfuſas. Iccirco ſecundum ſcripturas definita ſunt, quæ de fide in ſynodo Epheſina & Chalcedonenſi, denique in duabus Conſtantinop. conſtituta ſunt à beatis patribus de utraque in Chriſto natura, &c.

Cõpẽdium fidei incarnationis dominicæ.

Breue horum omnium compendium optimè religioſiſſimeq; pertexuit beatus Athanaſius, qui fidem ſuam & totius orbis Chriſtiani, hiſce uerbis eſt confeſſus, Eſt ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus dei filius, deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtãtia patris, ante ſecula genitus: & homo ex ſubſtantia matris, in ſeculo natus. Perfectus deus, pfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtẽs. Aequalis patri ſecũdũ diuinitatẽ, minor patre ſecũdũ humanitatẽ. Qui licet deus ſit & homo, non duo tamẽ, ſed unus eſt Chriſtus. Vnus aũt non cõuerſione diuinitatis in carnẽ, ſed aſſumptione humanitatis in deũ. Vnus omnino nõ eõfuſione ſubſtãtię, ſed unitate perſonę. Nã ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita deus & homo unus eſt Chriſtus.

Augu.

Augustinus epist. 57. ad Dardanum, hęc omnia adhuc breuius cõstringẽs, Vna inquit, persona deus & homo est, & utrunque est unus Christus Iesus, ubique per id quod deus est, in cœlo autem per id, quod homo. Ad cuius imitationem beatus Vigilius martyr paulò copiosius fidẽ totius ecclesiæ confitens, ac contra hæreses disputans lib. 4. Vnus dei filius, inquit, idemq; factus hominis filius, habet initium ex natura carnis suæ, & non habet initium ex natura diuinitatis suæ: creatus est per naturã carnis suæ, & non est creatus per naturam diuinitatis suæ: circunscribitur loco per naturam carnis suæ, & loco non capitur per naturã diuinitatis suæ: minor est etiã angelis per naturã carnis suę, & ęqualis est patri secũdũ naturã diuinitatis suæ, mortuus est natura carnis suę & nõ est mortuus natura diuinitatis suæ. Hęc est fides & cõfessio catholica, quã Apostoli tradiderũt, martyres roborauerũt, & fideles nũc usq; custodiũt. Hæc omnia ad uerbũ legũtur in lib. Vigilij. Quæ omnia in hoc commemoro, ut omnes piæ ueræq; religionis studiosi uideant consensum omnium temporum cum bea-

torum patrum tum imprimis ſcripturæ di uinæ in myſterio dominicæ incarnationis, atq; iccirco in hoc tutò & tranquillè acquieſcāt, à peregrinis uerò quæſtionib. ac diſputationibus abſtineant, & hæc ſimplicia, uera & ſyncera fide teneant, Chriſtumq; dei & hominis filium glorificent. Cui gloria ſemper. His enim ad hunc modum abſolutis, tranſimus ad librum alterum conſcribendum. Domini dei gratia adſit nobis perpetuò. Amen.

DE CONCILIIS
LIBER SECVNDVS.

De Concilijs pluribus atque diuerſis in Oriente & Occidẽte, de uſu imaginum in templis Chriſtianorum celebratis, deq; turbis uarijs inde exortis. CAP. I.

IN altera huius operis parte promiſi me oſtenſurum, Romanos Pontifices in extrema mundi ſenecta ab annis quingentis & amplius, magna cum perturbatione maioreq; detrimento Eccleſiæ Chriſti, ſua inſtituiſſe celebraſſeq; Concilia: utpote quæ cædes ferè, ſeditiões horribiles, & grauiſsima bella ſint conſecuta. Id uerò factu nõ admodũ erit difficile. Etenim à VI. ſynodo Conſtantinopolitana grauis & noua quæſtio uel diſceptatio inuecta eſt in eccleſias Chriſti Orientis atque Occidentis. Quæ diu & multum uexata eſt ab epiſcopis non modicorum ſcandalo, detrimentoq; fidelium. Diſceptatum eſt enim acerrimè de uſu imaginum Chriſti & ſanctorũ in templis Chri

Argumentum libri 2.

Contentio de uſu imaginum in templo.

stianorum, alijs quidem illas proturbantibus è templis, alijs uerò recipientibus rursusq; erigentibus. Et commixta est nonnihil causæ imaginum, negotium, alioqui odiosum & impium, monotheliticum, sicut mox patebit.

A temporibus uerò apostolorum usque ad ætatem Epiphanij & Hieronymi non ferebantur in templis Christianorum ullæ imagines. Quod ipse etiam Erasmus Rot. in sua Catachesi agnouit. Postea uerò incuria Episcoporum receptę sunt à multis. Ac tempore Gregorij, eius nominis 1. Rom. Pontificis cõfregit eas in sua ecclesia Massiliæ præsul, Serenus. Cui se opposuit Gregorius, non quod adorandas aut colendas ipse arbitraretur, sed quod pro rudibus illas ceu scripturam laicorum existimaret retinendas. Verum hæc sententia Gregorij dudum est pluribus confutata. Certè recruduit pugna de usu imaginum in templis circa annum Domini 715. & quidem hac occasione. Constantinus Pontifex Romanus collecta synodo Romæ, hæreseos condemnat Philippicum Imperatorem ac Ioannẽ patriarcham Constantinopol. quòd Monothelita-

Contentionis huius occasio.

thelitarũ delyria ſequerentur. Cauſa Pont. erat iuſta, & damnatio Monothelitarum iuſta. Nec modica in Occidente erat tunc Romani præſulis authoritas. Interceſſerãt enim anni 100. quo authoritate imperatoria Phocæ, Romana eccleſia dicta erat omnium eccleſiarum caput. Habebatur ergo Pontifex pro apoſtolico & uniuerſali omnium eccleſiarum paſtore. At impugnarãt hunc titulum fortiter Pelagius 2. & Gregorius 1. contendentes hunc titulum non competere uni alicui, niſi Antichriſti præcurſori. Atqui utebantur iam illo Romani Pont. cui præter maiorum morẽ alia plurima tribuebantur: quod & pietas & uera eruditio exularet, ſuperſtitioq; & barbaries ſucceſsiſſet. Conſtantinus uerò ille Pontifex Romanus publico omnium doctorum conſenſu, patrum icones, qui VI. ſynodis ab omnibus approbatis, interfuerant, pingi iubet in porticum S. Petri. Doluit hoc Græcis admodũ, quod Latini pictura ceu tropheo aduerſus ipſos uterentur, ac contendebant omnes abolendas eſſe ex templis imagines. Id diſtricte mandauit Leo eius nominis 3. Imperator Conſtantin. ac

Authoritas Rom. Põ.

mandauit hoc ipsum etiam Romano Pontifici Gregorio eius nominis 2. Is uerò cõgregata synodo ex Italicis uicinisq; Episcopis, Leonem damnauit Imperatorem, decreuitq; imagines maiori quàm hactenus ueneratione esse prosequendas. Quæ quidem Platina in historia sua commemorauit. Aurspurgen. in Chronicis suis, Gregorius Leonem, inquit, tanquam impie agentem per epistolas redarguens, Romam cum tota Italia ab eius imperio recedere fecit. Quibus & hæc adiecit in historia sua Antoninus, Et uectigalia illi pẽdere uetuit ciuitatibus Italicis. Acta hæc esse dicuntur circa annum Domini 730. Sunt qui assignent annum Domini 727. Nauclerus Generat. 25. Tantã tunc, inquit, decreta Pontificis authoritatẽ habuerũt, ut Rauẽnates primi, exinde Venetiæ populi atque milites, apertam in Imperatorem Exarchumq; (Italiæ) rebellionẽ præ se tulerint. Et procedebat in diem rebellio. Marinus enim spatarius (alij hunc uocant Mauritium) qui Romanę urbis dux erat, eiusq; filius Adrianus, dum Campaniam penetrant, à Romanis occisi sunt: quorum in locum ducẽ ipsi

Synodus pro cultu imaginum.

Seditiones & cædes.

ipsi sibi Petrum nomine, creauerunt. Ra-
uennates quoque dum alij Imperatori, alij
Pontifici obtemperandum dicerent, facto
tumultu Paulum Exarchum cũ filio occi-
dunt. Palmerius quoq; author est in Chro-
nicis hoc tempore in Italia uarie pugnatũ
esse: atque in eo bello Antipharium Lan-
gobardorũ ducẽ auxilia Pont. præstitisse.

Parent Imperat. Orientis Romani Pontifices.

Gregorij magni ętate, & post ipsam ali-
quandiu subditi fuerunt Oriẽtis Imperat.
Romani Pontifices. Nam ipse Gregorius
confirmationẽ suæ electionis ad munus ec
clesiasticum, accepit ab Imperatore Con-
stantinop. Et Platina tradit Constantinum
Pogonatum cognominatũ, hoc priuilegij
primũ dedisse Benedicto eius nominis 2.
ut deinceps quem clerus, populus, exerci-
tusq; Romanus in Pontificem delegisset,
eundem statim uerum Christi uicarium es-
se omnes crederent, nulla aut Constantino
politani principis, aut Italiæ exarchi expe-
ctata authoritate. Addit ille, Ante enim id
ratum erat in creãdo nouo Pontifice, quod
principes cõfirmasset, uel eius uices gerẽs
in Italia. Cæterùm posteriores Pontifices
insinuarunt se in amicitiã Lãgobardorum,

Excutiunt iugum Romani Pont. Imperatorum.

quorũ fauore armisq; eiecerunt Exarchas, adeoq; Orientis Imperat. ex Italia. Postea etiam Longobardos, quòd Romæ imminerent, & Pontifices minus suspicere uellent, implorato Pipini & Caroli Magni regum Francię auxilijs, non modò cohercuerunt, sed penitus deleuerunt regnum illorum in Italia, ac donatione Romam ipsam & Exarchatum Rauennensem à regibus Francorum acceperunt, unà cum alijs urbibus Italiæ: ut iam Romani Põtifices magis laborarent in augendo retinendoq; dominio terreno, quàm in plantãda per prædicationem Euangelij ecclesia Christi. Sed redimus ad synodos Papisticas illis celebratas temporibus.

Concilium Constantinopolitanũ 7. contra imagines.

Cùm pontifex Romanus Concilijs suis in Italia celebratis approbasset & usum & cultum imaginum in Christianorum templis, Cõstantinus Leonis Imperatoris Constantinopol. filius omnes Episcopos Asiæ, Græciæq; in synodum conuocat Constantinopolim, quorum CCCXXXVIII. conuenisse dicuntur in historia. Discussa est in ipsa imaginum causa, liceret ne illa reponere in Christianorum templa? Habita dicitur il

la an-

la anno Domini 754. (alij ponunt annum domini 746.) Dicta est Septima. Approbarunt receperuntq; in ea Decreta omnia de fide sex celebrium suprà expositarum synodorũ. Et proinde condẽnarunt etiam nominatim omnes hæreses in istis damnatas synodis, etiam Monothelitas seu Monophysicos, & incarnationis dominicæ mysterium synceriter agnouerunt atque confessi sunt. De imaginibus definierunt ex scripturis & patrum sententijs, una uoce omnem imaginem ex quacunque materia pictorum arte paratam ab ecclesia Christianorum reijciendam, ueluti alienam & abominabilem. Damnati sunt item in illa VII. synodo Germanus patriarcha, Gregorius Cyprius, & Ioãnes Chrysoroas, qui & Damascenus, quem Eutropius appellat nepotem Mamzur, synodus autẽ falsigraphũ, Saracenicum, & εἰκονολάτρην. Etenim ista ætate qui usum imaginum in templis probabant, improbãtes nuncupabãt εἰκονοιχθρας, εἰκονολάτας, & εἰκονομάχους, id est osores imaginum, confractores imaginum, & hostes uel oppugnatores imaginum: hi uerò illos uicissim appellabant εἰκονολάτρας, εἰκονοπλά-

σας, & θεομάχους, & νομομάχους, id est, cultores imaginum, factores imaginum, & hostes dei legisq; oppugnatores. Nam dicebāt, ut reuera est, deū in lege sua, phibuisse imagines & cultū ipsarū, &c. Extāt aūt acta eius synodi, typis excusa, in opere q̄d inscribit, Canones Cōciliorū omniū, &c. & collectus est à Ioāne Sagittario Burdegalensi.

Romana uel Lateranensis synodus pro imaginibus.

Porrò Stephanus eius nominis 3. Pontifex Romanus, cùm cerneret authoritate VII. synodi plurimos abhorrere à cultu imaginum, conuocauit & ipse synodum. De qua Robertus Barus Anglus, in Vitis Pont. Stephanus indicit synodum, inquit, in Lateranensi basilica, primores cleri ex Italia euocat, & ad Carolum sui studiosum scribit, ut episcopos Galliæ iubeat adesse. Carolus è Gallia 12. episc. Romam abire iubet, ut in synodo Lateranensi præstò sint. Historicus Florētinus uerò, In Lateranēsi synodo decreuerunt, ait, sacras imagines Iesu Christi, & beatæ uirginis Mariæ, aliorumq; sanctorum omninò honore & uenerationē dignas esse. Damnarunt insuper synodum septimam hæreseos.

Post ista cum Irene regina imperiū guberna-

bernaret,& imagines reſtitutas in templis Græcię cuperet,conuocauit ſatis frequentem Conſtantinopoli ſynodũ, ſperans quorundam opera imagines reſtitutum iri. Cæterùm res tum quidem confici non potuit, quod maior ciuitatis regiæ pars fremeret contra imagines, ac parum abfuiſſet,quin in contrarium fuiſſet pronunciatum. Dimiſit ergo tunc patres re infecta. Anno uerò ſequenti aliã rurſus conuocauit ſynodũ, & quidẽ numeroſiorẽ: quã & præſidio munuit,ut terrorem multis incuteret. Etenim anno domini 790. conuocauit illa ipſa Irene imperatrix unà cum filio Conſtantino, ſynodum in urbem Bithyniæ Niceã. Conueniſſe dicuntur ex Aſia & Græcia patres 350. inter quos fuerunt etiam legati Romani Pontificis Hadriani, cui non parum faueb ſuperſtitioſa Irene. In hac ſynodo recepta & approbata ſunt decreta ſex uniuerſalium Conciliorum, de quibus ſupra dictũ eſt. Damnata eſt autẽ ſynodus VII. ſub Conſtantino eius nominis 5. habita Conſtantinopoli, quæ cum per annos 36. nuncupata fuiſſet ſeptima, poſt Nicenam hanc celebratam,non amplius ſeptima, ſed falſò

Conſtantinopol. ſynodus.

Nicena 2. ſynodus pro imaginibus.

septima est appellata. Hæc enim Nicena 2. se uendicauit pro septima. Absoluti sunt Ioannes Damascenus, & Georgius Cyprius. De imaginibus in hæc uerba definierunt, Fatemur unanimiter nos ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine ualentes & decretas retinere ueile. Ideoq; definimus cum omni diligẽtia & cura uenerandas sanctas imagines, dedicandas, & in templis sanctis dei collocãdas habendasq;, &c. Sed extant impressa huius synodi acta, & alibi & in summa Conciliorum per Barptolomeũ Carranzam Miranden edita. Sabellicus enncade 8. libro 8. Magno omnium consensu, inquit, decretum est, ut Romanæ ecclesiæ ritu in templis haberẽtur, additaq; est colendi forma, duobus carminibus complexa. Visuntur hodie uersus Venetijs aurea æde figurati uetusta literarum forma, ut ex Græco fuerant in Latinum uersi.

Nam deus est quod imago docet, sed non deus ipsa,
Hanc uideas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Verissimum quidem est, quod dicitur imaginem deum non esse. Quis uerò ita cæcus est, ut non uideat, quæ ei sententiæ sunt addita,

addita, cum scripturis ex aduerso pugnare? Deus enim non est quod imago docet. Imago enim deum nullo modo referre potest, quod ipse deus testatur Isaiæ 40. idem que testantur Moses, Deut. 4. & Paulus apostolus Act. 17. Ergo minime colendum est, quod in ipsa cernimus. Quid enim cernimus in imagine nisi materiam & formã? Deus autem spiritus est: & qui ipsum uere adorant, spiritu & ueritate adorant, &c. Verum hæc omnia dudum fortiter & euidenter confutata sunt.

turbulenta tempora.

Non commemoro hic turbas, quas circa Concilium hoc Eutropius (aut quisquis ille fuit, qui aliquot, supplementi uice, libros Eutropio addidit) commemorat historiarum lib. 23. Satis enim perturbata alias apparent illa tempora, quibus iam rixatum est de Imaginibus per annos circiter 80. continuos, ut uere dixerim, Roman. Pont. Concilia sua magna cum ecclesiarũ perturbatione celebrasse, &c. Ac propter receptum cultum imaginum credũtur Saracenorum uires supra modum ijs creuisse temporibus. Et certe dum post annum 800. Carolum Francorum regem, Leo Pa-

pa, inſcijs Orientis Imperat. Auguſtum dicit, & Imperat. Occidentis coronat, diſciſſus eſt ab Oriẽte Occidẽs, factũq; eſt ſchiſma noxiũ, quod protinus conſequute ſunt calamitates maximæ & innumerabiles.

De diſſidio in Eccleſia exorto ob negotium Euchariſtiæ, Et quæ propter illud Concilia celebrauerint Romani Pontifices. Et quæ ſit conſequuta perſecutio. CAP. II.

Contentio de Euchariſtia.

NOndum plene ſopita fuit acris illa de uſu imaginum in templis Chriſtianorum concertatio, cùm noua acerbior nec minus noxia cõtentio paulatim eſt exorta in Occidentalibus eccleſijs de præſentia & manducatione corporis Chriſti in ſancto Euchariſtiæ ſacramento, dum hi urgerent modum corporalem craſſum et tamẽ ineffabilem, alij uerò aſſererent modũ ſpiritualem & myſticũ. Ioan. Damaſcenus, qui & uſum imaginum in eccleſia Chriſti propugnauit, quo nomine ut idololatra eſt damnatus à 7. ſynodo Conſtantini, lib. de ortho doxa fide 4. cap. 14. μεταστοιχειωσιν tranſmutationẽ panis & uini miraculoſam & ineffabilem, in corpus & ſanguinem Chriſti, affirmauit:

Ioannes Damaſcen.

affirmauit, manifestè scriptum relinquens, Non est figura panis corporis Christi (absit hoc) sed est ipsum corpus domini deificatum. Si queras modum, nihil amplius scimus, quàm quod uerbum domini, Hoc est corpus meum, est uerum & efficax, & omnipotens, modus autem inscrutabilis, &c. Eodem propemodum tempore floruit in Gallia Ioannes Mailrosius, cognomine ac natione Scotus, Alcuini Angli, uiri doctissimi, & à Carolo Magno in magno habiti precio socius, & sub eodem præceptore Beda in iuuenili aut puerili ætate condiscipulus. Is cùm Græcæ & Latinæ linguæ admodum peritus esset, usus est eius opera in uertendis libris è Græco in Latinum Imperator, & in profitendis bonis literis in schola Parisiēsi & Papiensi siue Ticiniana. Alij mentionem eius fecere sub anno Domini 877. sed omnino uidetur celebris fuisse sub Carolo, ut diximus, Magno. Testantur autem historici concorditer omnes, præclaræ authoritatis & eximiæ eruditionis uirum fuisse hunc Scotum. Scripsit librum de Eucharistia, in quo per omnia creditur retinuisse & seruasse dogma beati Augustini, ni-

Ioannes Mailrosius Scotus.

mirum catholicum, quod imbiberat ex scriptis eius uiri luculentissimis. Eodem pro-
Rabanus Maurus. pemodum tempore uixit & scripsit Rabanus cognomento Magnētius Maurus, qui primùm quidem Fuldæ abbas fuit, postea uerò creatus est Mogũtinensis episcopus. Fuit is & Alcuini quondam auditor, & dogmatis Augustiniani diligẽs sectator. Scripsit inter alia libros de Institutione clericorum tres, circa annum Domini 820. sub Paschali Pontifice, & Ludouico Pio Imperatore. Ac lib. 3. cap. 12. & 13. agnoscit figuratam esse locutionem, quæ iubet nos edere carnem domini, & bibere eius sanguinem. Vbi & D. Augustini uerbis ex libro
De Doct. Christiana lib 3. cap. 16. de Doct. Christiana utitur, sicuti & alibi. Nam lib. 2. cap. 40. & 21. uerbis Augustini asserit dominũ corporaliter recessisse à nobis, & nunc uersari in cœlo. Idem lib. 1. cap. 31. de Eucharistia sancta loquens, Voluit dominus corporis & sanguinis sui sacramẽta, inquit, fidelium ore percipi, & in pastum eorum redigi, ut per uisibile opus inuisibilis ostenderetur effectus. Et mox, Aliud est sacramentum, aliud uirtus sacramẽti. Sacramentum enim ore percipitur: uir-

tute

gite sacramenti interiore homo satiatur. Sacramentum enim in alimentum corporis redigitur: uirtute autem sacramenti æternæ uitæ dignitas adipiscitur. Quib. multa alia addit ex 6. cap. Ioannis, & ex Augustino, quibus negotium cœnæ illustrat, & spirituale esse docet. Cæterùm Thomas Vualdenus Anglus hunc Rabanum in epistola ad Martinum 5. & in lib. suo de Sacramentis inter hæreticos numerat, quod non rectè (nimirum iuxta decreta Romanæ ecclesiæ) senserit de sancta Eucharistia.

Certè incœpisse ac prorupisse illis temporibus certamina de Eucharistia, illud maximè euincit, quod circa annum Domini 840. Carolus eius nominis 2. Ludouici Pij filius, ac Lotharij Imp. & Ludouici Germanici frater Bertramo cuidam presbytero utro pio & docto quęstionem proposuit dissoluendam. Cuius quidem rei ipse Bertramus mentionem facit in præfatione lib. quem ad Imperatorem scripsit De corpore & sanguine domini, ac inter alia dicit, Iubes glorioso princeps, ut quid de sanguinis & corporis domini mysterio sentiã, uestræ magnificentiæ significem. Dum enim qui-

Bertramus presbyter.

dam fidelium corporis sanguinisq; Christi, quod in ecclesia quotidie celebratur, dicāt, quòd nulla sub figura, nulla sub obuelatiõe fiat, sed ipsius nuda ueritatis manifestatione peragatur: quidam uerò testentur, quod hæc sub mysterij figura contineantur, & aliud sit, quod corporeis sensibus appareat, aliud autem quod fides aspiciat, non parua diuersitas inter eos dinoscitur. Cæterùm Bertramum hũc, sicuti & cordatiores omnes, in posteriorem partem inclinasse dixi aliàs.

Paschasius Ratbertus.

Paulo post ista tempora circa annũ Domini 899. aut 900. floruit Paschasius Ratbertus Corbeiensis abbas, qui & ipse librũ conscripsisse de sacramento altaris, inq; aduersam, in crassam illam partem inclinasse dicitur. Proinde scindebantur inter se docti in hac causa, & contendebant acriter, dum alij adhærent Damasceno atque Pascasio, & nimis crassè loquerẽtur de Christi mysterijs, alij uerò sequerẽtur uetus docendi genus de sanctis mysterijs, prout propositum erat à Ioanne Scoto, alijsq; uiris eius ætatis atque uetusti seculi doctissimis. Ac durauit illa cõcertatio annis pluribus: quando

do etiam inter se cõmissi sunt, circa annum Domini 1020. Berengarius Andegauensis homo Gallus, & Lanfrãcus Ticinensis Italus. De utriusque sententia licet iudicare ex fragmentis Berengarij, & lib. Lanfranci. Qua de re alibi dixi uberius, ut 2. lib. de Orig. erroris cap. 10. Berẽgarius atque Lanfrancus.

Post multam & uariam concertationem delata est res ad cognitionem synodorum, atque plures hac de causa synodi sunt congregatæ. Et primùm quidem conuocauit ex Italicis episcopis atque abbatibus Concilium Romæ Leo eius nominis 9. Pontifex Romanus, in quo cùm à Remẽsi quodam clerico recitatæ essent literæ Berengarij, quibus Ioannis Scoti sententiam approbauit, Paschasij improbauit, promulgata est in Berengarium damnationis sententia, quæ ipsum ecclesiæ priuauit communione. Facta sunt hæc absente Berengario, eo non audito, & tamen damnato. Huc enim reciderãt illo tempore res, ut dãnarentur in synodis lõgè facilius etiam nondũ auditi ac conuicti errorũ, quàm permitteret ipsa æquitas. In Rom. uerò illa synodo aut prosynodo indicta est alia Vercellis celebranda. Synodus Romana 1. contra Berengarium.

Synodus Vercellen. Ergo mense Septembri anno Domini 1051. coijt Vercellis synodus Episcoporũ, utcunq; frequẽs quidẽ, sed non citra preiudicium. In hanc euocatus est Berengarius, qui quod preiudicijs agi uideret omnia, uenire noluit. Miserat autem duos clericos, qui quamprimùm causam Berengarij in synodo exponerẽt atque defenderent, coniecti sunt in uincula. Lectus est autem liber Ioannis Scoti de Eucharistia, & damnatus est omnium iudicio, Lanfranci doctrina approbata est. Nihilominus Andegaui, Turoni, & in Gallia approbabatur doctrina uetus de Eucharistia, quam trade bat Berengarius, reprobabatur Romanorum sacerdotum doctrina. Vnde Victor papa, qui Leoni 9. successit, Florentiæ coegit rursus Concilium, in quo definitio Vercellen synodi cõfirmata est, missaq; in Galliam legatio, quæ ageret cum Berengario Turoni. Verũ cùm ne sic quidem oppressum esset inuisum Romanis sacerdotibus dogma, alia rursus synodus Romæ sub Nicolao eius nominis 2. anno Domini 1058. conuocata est. In ea proposita est Berengario reuocationis forma, quæ in Decretis Gratiani

Synodus Florentina.

Synodus Roman. 2.

Gratiani recitatur, De Consecrat. Dist. 2. Ego Berengarius. Inter alia confitetur Berengarius, se eam fidem tenere, quam dominus Nicolaus papa, & synodus de hac re teneat, nempe panem & uinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam uerum corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum sacramentum, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium q̃ dentibus atteri. Atque hæc postmodum cœpit haberi per uniuersam Romanam ecclesiam orthodoxa de Eucharistia uel Cœna domini sententia. Quam si quis componat saltem cum doctrina beati Augustini, ut nihil dicam aliud, deprehendet nouum & prorsus alienum à syncera uetustate dogma ecclesiæ obtrusum esse. Nicolaus uero Pont. reuocationem Berẽgarij misit per Italiam, Galliam, atque Germaniam, qua & multi infirmiores offensi sunt non leuiter: & accessit dogmati nouo non exigua authoritas.

Reuocatio Berẽgarij.

Synodus Romana III.

Attamen nondum erat dogma ipsum sopitum. Nam Gregorius eius nominis 7. & ipse Romæ III. ordine V. iam ea de re

Concilium anno domini 1079. congregauit, atque in ipso iterum hæreseos condemnauit Berengarium cum suo illo dogmate, opinionem corporalis in Eucharistia præsentiæ & manducationis confirmauit. Nec desunt authores, qui scribãt Berengarium omisso tãdem literarum studio, omnia sua pauperibus erogasse, & uictum sibi manibus quæsiuisse proprijs. Platina in Vita Ioan. XV. testatur Berengarium uirum fuisse sanctimonia uitæ & doctrina præstantem. Ex Lanfranci quoq; libro colligitur, Berengarium commissi sceleris, abnegatæ inquã ueritatis, egisse pœnitentiam. Quæ autem hactenus commemorauimus de Berengario & multis contra ipsum celebratis Cõcilijs, transumpsimus ex historijs Platinæ, Sabellici, Antonini Florentini, Vincentij, Alberti, Naucleri, aliorumq;.

+ Grauis per sequutio.

Istis uerò ad hũc modum statutis, nondum composita fuit de re sacramẽtaria lis. Grauiter enim adhuc concertatum est per multos annos, neque potuit extingui prorsus uera & simplex doctrina. At Romani Pontifices interim potentiores facti, tandẽ ferro & igni omnes eos, ueluti declaratos

hæreticos

hæreticos & non ferendas Reipub. peſtes, gladio principum et uulgi perſequuti ſunt, qui imagines renuerunt colere, diuos inuocare, & corporalē agnoſcere corporis Chriſti in pane Euchariſtiæ præſentiam, prout ea in præteritis Concilijs fuerant conſtituta. Cūq; magnus horum in uarijs regionibus eſſet numerus, Cruciatæ, quas uocāt, palàm contra huiuſmodi hæreticos atrociter prædicatæ ſunt, & multa milia hominū, nulla uel ſexus uel ætatis ratiōe habita, funditus excisa, tanta crudelitate & tanta animorum ferocia, obſtinationeq;, & beluina ſæuitia, ut non facile paria in alijs ſeculis reperias exempla. Legantur hiſtoriæ ab iſtorum Conciliorū temporibus ad Innocentium uſq; III. Pont. & paulò ulterius: & teſtaberis iſtis quoq; ſeculis completum eſſe, quod in lib. Pſalmorū legimus, Dixerūt in cordib. ſuis, Sæuiemus in eos pariter, delebimus nomina et ſynagogas ipſorū de terra, Effuderūt ſanguinē ſeruorū tuorū, circumquaq; ſicut aquā, nec eſt qui curet, aut qui ſepeliat. Probrū ſumus uicinis noſtris, prouerbiū his qui circum nos ſunt, &c.

Cruciatæ.

Innocētius uerò ille 3. cuius modò me-

Innocent. 3. statuit trãssubstantionem in Concilio

minimus, & de quo paulò post plura dicemus, plenè tandē absoluit negotiū Eucharistiæ, dum in Lateranensi synodo dogma de transsubstantiatione superioribus omnib. adiecit, ac symbolo inseruit, quod recitatur in Decretalibus de summa trinit. & fide catholica, Firmiter. Habetur illa synodus à Romana ecclesia, inter uniuersales nō postrema. Quæ celebrata est anno Domini 1215. & ex ea plurimum authoritatis habere meruit, quod ex diuersis mundi plagis maximo numero adfuisse dicuntur uiri illustriores. Cōmemorant enim historiæ adfuisse patriarchas Hierosolym. & Constantinop. Archiepiscopos 70. Episcopos 400. abbates 12. & Priores conuentuales 800. plurimos etiam multorum principum legatos. Dicam paulò post cap. 5. pluscula de hac synodo. At Græcos Orientalesq; non consensisse, in omnia eius Concilij decreta arguit synodus ab Eugenio 4. Florentiæ celebrata. Dum uerò uolui omnes synodos celebriores de Eucharistia habitas connectere, euectus sum nonnihil ex cœpta temporum serie. Redeo itaque ad Gregorij septimi, sub quo contentio Sacra-

Concilium Lateranese

men-

mentaria maximè ferbuit, tempora.

De Concilijs Gregorij VII. contra Imperatorem & ei adhærentes episcopos habitis, & horum uicißim contra illum: quantéq; turbæ, cædes, et calamitates ex illis sint consecutæ. CAP. III.

Anno 1073

CIrca tempora Gregorij 7. corruptę & admodum afflictæ erant res ecclesiæ. Etenim Põtifices aliquot, qui Gregorium præcesserant (ut Siluester 2. Benedictus 9. Gregorius 6. huius 7. Gregorij magister) magia fuisse infames & omnibus adopertos flagitijs, sceleribusq; referũtur ab historicis, diabolumq; nimis impudenter tunc sedem illam Romanam occupauisse. Huc cerè reciderant tunc res, ut Romani Pontifices Concilia magis instituerent pro stabiliendis propagandisq; semel receptis & approbatis erroribus, quàm pro his confutandis tollendisq;, imprimis uerò pro euehenda & confirmanda sua monarchia seu tyrannide, ac deprimenda imò & euertenda iusta legitimaq; sancti magistratus uel regum potentia. Non commemorabo hic omnes Romanos Pontifices, qui ea in re sedulò laborarunt, sed insigniores dunta- Pontifices magi.

xat, neque annumerabo omnia Pōtificum Concilia hac ipsa de re habita, sed ex pluribus aliqua. Satis enim intelliget ex his lector pius & prudens, quas, quantas ue calamitates orbi Christiano per hæc sua Concilia intulerint. Commemorabo autem hæc iuxta historiæ nobis traditæ fidem.

Gregorius septimus.

Gregorius 7. ante pontificatum Hildebrandus appellatus, ab Italis & pluribus etiam Germanis chronographis historiographisq; laudatur plurimùm, sed uicissim uituperatur à multis. Hic celebrauit in Lateranensi ecclesia Romæ Concilia cum episcopis, quibus & episcopos aliquot Germaniæ, & ipsum Imperatorem Heinrychum eius nominis 4. anathemate percussit, imperio denique deiecit, absolutis omnibus principibus & populis, quo illi obstringebantur iuramento. Grauissimorum scelerum accusauit Imperatorem, quod & Marianus Scotus commemorat. Ea res, utpote noua, inaudita, & indignissima uehemēter multorum Imperatori fauentium animos exacerbauit, ac ita commouit, ut ipse Imperator unà cum multis episcopis principibusq; & ipse conuocarit synodos, primùm

mùm quidem Vuormatiæ, deinde Brixię, postea Mogũtiæ, damnarintq́, & è sede deturbarint Põtificem, grauissimis in ipsum latis sentẽtijs: quæ apud Vrspurgẽ. extãt et apud alios hístoricos. Cum uerò Pont. cer uice esset præfracta audaciaq́ incredibili, Rodol. Sueuię ducem, alioquí príncipem præcellentíss. Imperat. loco Heinr. constituit, missa ei corona, cui uersiculũ adiecit.

Pont. grauissima bella excitat.

Para dedit Romam Petro, tibi papa coronam.

Alij uersum hunc ita recitant,

Para dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Ea re per uniuersam Germaniam excitauit bella funestíssima, in quibus ípse quoq́ rex Rodolphus legitur extinctus, culpa agnita, eaq́ potíssimum reiecta in Epíscopos, qui ei authores fuerint perfidæ ab Imperat. defectionis. Cum enim moribundus decũberet, & Epísc. lectum corona cinxíssent, manusq́ in prælio ipsi decussa, adferretur, ad Epíscopos conuersus, En, inquit, hæc est manus illa, qua ego sacramenta præstiti domino meo Heinrycho regi, uobis tamen urgentibus, toties (quarto enim aperto Marte ístos conflixísse constat) contra ípsum infeliciter pugnaui. Ipsi ergo expen-

Rod. dux Sueuiæ.

dite iã, quàm probe mihi consuluerítis, ut ab eo deficerem. Quín abite iam, & imple te primam regi uestro fidem. Nam ego ingrediór nunc uiam patrum et uniuersæ carnis. Huc uerò impulerat Episcopos Rom. Pontifex, ut authores essent principi rebellionis. Ac extant adhuc epistolę Pont. Gregor. ea de re ad Episcopos scriptæ.

Vide miseram rerum faciem.

Breuiter omnia tumultu, sub hoc Pontifice, post eius concilia, cuncta terrore & luctu complentur (uerbis hic utor nobilis historici Ioannis Auentini ex lib. Annalium Boiorum 5.) cædes, incendia fiunt, in sontes & qui neutri parti fauebant, qui fidem regi seruabant, rebellare recusabant, pacem & ocium bello præferebant, armis se commiscere abnuebant, Simoniaci, Nicolaitæ, Hæretici appellantur, proscribuntur, in sceleratorum numero habentur, aris, sacris, conuiuio, colloquio, conspectu à coniuratis arcẽtur. Sacerdotes, monachi, Episcopi, fratres germani, amici, cognati, affines, liberi, parentes, miles, tribunus, herus, famulus, pueri, puellę, coniuges, populus, principes, inter se discordant, dissentiunt: publicè, priuatim altercantur, rixantur,

nur, inuicem mutuis uulneribus, cæde, parricidio, incẽdijs, rapina conflictantur: agri uastãtur, phana spoliãtur, ærariũ diripitur, fiscus exinanitur, uillę incenduntur, urbes & castella ui expugnantur, leges silent, arma feruẽt, omne ius in uirib. est. Quicquid uictori collibuisset, uictus patitur: uirgines rapiunt, liberi à cõplexu parentũ auelluntur, matres familiæ ui constuprãtur, terra, flumina humano cruore rubescũt. Animę cũ corporib. intereunt, ad inferos raptãtur, æternis supplicijs mactãtur. Hęc ille.

Tradunt historię Heinrychum huius nominis 4. M. Marcellum & Iulium Cæs. supergressum, quorũ alter trigesies, alter quinquagesies bis, pari Marte decertarunt, Heinrychum uerò hunc bis & sexagies signis collatis pugnasse. Ac cum quæstam ex illis bella uarias gereret ob causas, plurima tamẽ incentoribus Pontificibus, à quibus abstinuisset alioqui, coactus est suscipere. Imperitauit autem diu per annos 50. Luctuosissima ergo fuerunt huius Pontificis Gregorij 7. tempora, ex Concilijs eius exorta, quibus totus in hoc erat, ut abolito regno Germanico ipse sibi & Pontifi-

Eberhardi Salisburgen. episcopi iudictũ de Gregorio VII.

cibus Romanis monarchiam pararet: ut de eodem Eberhardus Archiepiſcopus Salisburgen. non temere in frequenti Reginoburgenſi Concilio ita pronunciaſſe legatur, Hildebrandus (ita ante pontificatū appellabatur Gregor. 7.) ante an. CLXX. primus ſpecie religionis Antichriſti imperij fundamenta iecit: hoc bellum nephandum primus auſpicatus eſt, quod per ſucceſſores hucuſque continuatur. Primò illi Imperatorem à Comitijs Pōtificalibus extruſere, ea ad populum & ſacerdotes tranſtulere. Deinde & his ludibrio habitis atq; exploſis, nunc & nos in ordinem ac in ſeruitutem redigere conātur, ut ſoli regnent. Capti iam imperij cōſuetudine, penſitatis ſatis & aduerſariorū uiribus, occaſione rapiendæ dominationis & opprimendæ libertatis Chriſtianæ, ſpecioſo eccleſiaſticæ conſtituendæ libertatis fuco utentur. Credite experto, non ceſſabunt, donec Imperatore in ordinem redacto, Romani imperij honore ſoluto, paſtoribus ueris qui paſcāt oppreſsis, canibus qui latrare queant ſublatis, per hunc morem omnia extinguant, aut occidant. Ideo omnia turbare atq; commiſcere

miſcere uolunt. Hæc uerbotim huc tranſ-
ſcripſimus ex 7. lib. Annal. Boiorum A-
uentini. Vbi multò plura huius generis &
quidem uehementiora leguntur.

De Concilio Claromontano ſub Vrbano 2. Et de bello ſacro, illiſq; Concilijs, quæ opera Pontificum Romanorum habita ſunt contra Heinrychum 4. Imperatorem, in quem tandem proprius armatur filius, qui ipſum exauthorat. CAP. IIII.

Concilium Claromontanum ſub Vrbano 2.

GRegorium ſeptimum & Victorem 3. ſecutus eſt in pontificatu Vrbanus eius nominis 2. Hildebrandi fidelis diſcipulus, & propter turbas ab ipſo excitatas plurimas à quibuſdam nũcupatus Turbanus. Nam telam, quam magiſter Gregorius fuerat exorſus, hic Turbanus unà cum Paſchali & reliquis Hildebrãdinis pertexere ſummis uiribus contendit. Conuocauit hic in Gallia ad Claromontem ſynodum non infrequentem, in qua proponit quæſtionem de recuperanda Terra ſancta & urbe Hieroſolymorum, atque adeò de domini ſepulchro è manibus infidelium eripiendo. At nullum erat hic uerbum dei, quod in re uſqueadeò periculoſa præluceret, & decer-

nentes dirigeret: quin potius erant plurima, quæ ab instituto illo omnes abstraherent, nihilominus declarata est famosa illa belli sacri expeditio in Orientem cõtra Saracenos. Habuit illa synodus plurima cum illa communia, quæ describitur 3. lib. Reg. capite ultimo, & habita est de recuperanda Ramoth Galaad ex manibus Syrorum. Fuit enim in illa etiam spiritus seductor, fuerunt prophetæ admodum audaces & bellaces: fuit hic Achab, fuit & Iosaphat. Declaratum est hoc infelix bellum in Concilio Claromõtano anno Domini 1095. Hoc ipsum suppeditauit materiam interminabilem & cruẽtam prorsus omnibus ferè consequẽtibus Concilijs, in quibus actum aut consultatum est de bello contra Saracenos ac Turcas gerendo.

Bellum sacrum omnium bellorum atrocissimum.

Profecti sunt autem sequenti mox anno 1096. in Orientem cum innumera hominum turba, inclyti duces Gotfridus & Balduinus, & intra triennium aut quadriennium & deditione acceperunt & ui cœperunt præclaras Asiæ urbes, & in his Hierosolymas quoque. Refert Vrspurgẽsis tantum cruoris effusum in urbe Hierosolymorum,

rum, ut in templo ipso Hierosolymitano equi ad genua usque steterint in cæsorum sanguine. Idem memorat ad Ascalonem memorabilem commissam fuisse pugnam, in qua Christianorum circiter 5000. peditum, & 5000. equitum fuderint & profligarint Sultanum Babylonium instructum equitibus centũ milib. & peditib. 400000. ac periisse in ea pugna supra centena hominum milia. Et quamuis excitaretur tũc nouum Hierosolymis regnum, nõ diu tamen stetit. Vniuersum enim uix centum euolutis annis cruore populi Christiani extinxerunt atque deleuerunt infideles. Non commemoro hic multas & grauissimas alias expeditiones Principum, Imperatorum, Regum Gallię, Anglię, & aliorum regnorum factas in eũdem illum finem Pontificium, ad recuperandum, inquam, domini sepulchrum. Horret animus, quoties cogito quàm numerosi fidelium exercitus mare transierint alacres, nulli autem uiui aut pauci ægrotantes redierint. Mirantur alij bella Persica & Macedonica, Punica, Ciuilia, & Cymbrica, ego uerò illis omnibus antefero bellum hoc Pontificium, quod uocãt

ſacrum. Fuit enim iſtis omnibus grauius, atrocius, cruentum & diuturnum magis. Nam concurrerunt in hoc innumerabilibus copijs uniuerſi propemodum orbis habitati populi & gentes. Editæ ſunt hominum ſtrages prodigioſæ & incredibiles, cùm multò plura centena hominum milia perierint, quàm credi poſſit. Geſtum eſt præterea annis circiter 195. continuis. Geſtum eſt inſuper animis acerbiſſimis. Exaſperati ſunt hoc bello Saraceni, Babylonij, Aſiatici, Aegyptij, Turcæ & aliæ gentes barbaræ, & adeò exarſerunt implacabili odio in religionem Chriſtianam, eiuſq; profeſſores, ut hanc unà cum his radicitùs euellere conati ſint, ac bona ſui parte in iſtis regionibus euulſerint, neque uel hodie deſinant adhuc euellere. Quod quidem debemus partim infelici illi Concilio Põtificio, partim peccatis noſtris enormibus, & uitæ à pœnitentia uera alieniſſimæ.

Perturbatio totius orbis terrarum.

Huius perturbationis totius orbis meminit etiam Auentinus in hiſtoria libro 5. & quidem hiſce uerbis. Plericq; omnes boni, aperti, iuſti, ingenui, ſimplices, tum imperium Antichriſti cœpiſſe (quod ea quæ Chri-

Christus Seruator noster tot annis antè nobis prædixit, euenisse eo tempore cernebant) memoriæ literarum prodidere. Orbis terrarum tum à cardine bellorum procellis iactatus est. Genus humanum undique turbine armorum inuolutum est. Orientales atq; Occidentales inter se armis concurrerunt, Normanni, Galli, Germani, Saxones, Vgri, Itali, Britanni, Christiani Occidentales domesticis dissidijs, ciuilibus armis attriti sunt. Græci & Armenij, Turcæ & Arabes, Hispani & Saraceni, Asiatici & Aphricani inter se infestis concurrere signis. Hierosolyma bis capta, bis expugnata est. Prodigia apparuere, Cœlum frequenter ardere uisum. Sol atque Luna crebrò præter solitũ defecere. Complures stellę de cœlo cadere uisę sunt. Igneę acies, turmæ equitum, peditum cohortes, ciuitates, enses, arma cruenta in cœlo uisa inuicem conflixere. Et reliqua, quę ille ibi commemorat.

Placentina synodus sub Vrbano 2.

Ante synodum Claromontanam idem hic Vrbanus Placentiæ synodum conuocauit, & in ea omnia Gregorij 7. acta contra Heinrychum Imperatorem, & Clemen

tem Antipapam comprobauit, multasq; leges ecclesiasticas tulit nouas. Id quod omnes historici cõmemorant. Ergo in Germania quoque mense Maio Moguntiæ Imperator cum episcopis Galliæ, Italiæ, & Germaniæ, & multis principibus Concilio frequentissimo celebrato, & Vrbanum Pontificem & omnes ei adhærentes episcopos Hildebrandinos communi consensu condemnant. Sententiam condemnationis adumbrat in historia Auentinus lib. historiarum 5. ubi palàm testatur, suasu Vrbani Pontificis Conradum Heinr. Imperatoris filium, defecisse à parente, ac inuasisse regnum Italiæ. Vnde graues exortę sint ibi quoque turbæ, & dissidia maxima.

Synodus Moguntina.

Paschalis 2.

Opera huius Conradi Italiæ regis atq; Mathyldæ fœminę in Italia primarię, et Põtificijs partibus addictissimæ, Paschalis Põtifex 2. mox ab Vrbani morte, in sellam est collocatus, qui prius fuerat monachus, nuncupatus Raynerus. Erat hic annus domini 1100. Paschalis hic appellatur ab historicis bellicosus Pontifex: et ne ullis artibus Gregorio 7. inferior uideretur, experitur omnia, nec quicquam eorum omittit, quæ

putabat

putabat pertinere ad opprimendam potentiã Imperatoris Heinrychi et imperij Germanici, & ad euehendam ſtabiliendamq; amplitudinem uel monarchiam ſedis Romanæ. Proinde anno domini 1102. tertiò iam Imperat. Heinr. excõmunicat. Romæ enim Concilium Epiſcoporum Galliæ & Italiæ congregat (uerbis utor Roberti Anglí in Vitis Pont. poſitis) ac Florentinum epiſcopum reprimit, qui dicebat Antichriſtum eſſe natum. Perpetuum quoque anathema à Gregorio aduerſus Heinrychum 4. promulgatum in ea ſynodo renouat atque confirmat, eiusq; ſynodi ſententiam poſtea in Cœna domini apud Lateranum Romæ publicè pronunciat. Idem ille Pontifex opera principum, epiſcoporũ item & hominum ſibi fauentium armauit filium Heinrychum 5. cõtra parentem Heinr. 4. contra ius gentium, aduerſus ius naturæ (utipſe parens dixiſſe legitur) & aduerſus ſanguinis neceſsitudinẽ, & cõtra diuinum & humanum mandatũ. Rurſus enim Robertus ille Anglus in Pontificum hiſtoria, Literæ, inquit, cum ab Heinrycho 4. impetatore, tum à principibus & filio Heinry-

Concilium Romanum cõtra Heinrychum 4. Imperat.

Filius contra patrem armatur.

cho 5. ſcriptę, ſunt mihi teſtes, Pontificios, impuliſſe principes contra ſuum Imperatorem, & filium contra ſuum patrem rebellionem parare. Heinrychus 5. authoritate Pontificia, et ſuadētibus epiſcopis Rychardo (Auentinus Ruthardum hunc uocat) Moguntino & Gebhardo Conſtant. Concilium ac conuētum indicit in Northuſen, anno domini 1105. Calend. Iunij (4. Iulij habet Auētinus) In eo Concilio totum ſe Romani Pontificis authoritati ſubiecit: adeò, ut in ſynodum nō ingrederetur, niſi prius iuſſus et uocatus ab Epiſcopis: quibus ſummum, ingreſſus, honorem exhibuit. De doctrina tractatum eſt. Quæ minus ponderis uidebantur habere, componebantur in ea ſynodo: quę plus momenti habere putabantur, relata ſunt ad Pontificem. Acta Hildebrandi, inquit Auentinus, tutanda decernunt. Simoniaca hæreſis, ait Robertus, & Nicolaitarū fornicaria coniunctio, dānata eſt. Vocabant autem Hildebrandini Simoniacam hæreſim, quando princeps, magiſtratus, aut laicus beneficia aut inueſtituras eccleſiaſticorum conferebat. Iam tunc enim collationes beneficiorū aut munerum

Concilium Northuſanum.

Simoniaca & Nicolaitica hęreſis

nerum ecclesiasticorum, ex manibus magistratus aut laicorum extorquere & artibus & ui maxima Pontifices contendebãt. Nicolaiticam uerò fornicariamq; coniunctionem nuncupabant sacerdotum uel ministrorum ecclesiæ coniugia legitima, & à deo in scripturis manifeste cõcessa. Refert autem Lambertus Schaffnaburgen. in hi- Coniugia ministrorũ ecclesiæ.
storia sua diligentissime, quantam hac de re contentionem in ecclesia Occidẽtali excitarit Gregorius 7. Præceptoris sui uestigijs inhærebant Hildebrandini omnes, imprimis uerò Paschalis 2. atq; Calixtus 2. qui et ministrorum ecclesiæ coniugia cõdemnarunt atque conculcarunt. Qua re completa est tãdem apostolica prophetia, quæ apud apostolum legitur in 1. Timoth. cap. 4. Maxime uerò agebatur in illa synodo Northusiana de substituendo Heinrycho F. in locum parẽtis, quem imperio dejicere, ut excõmunicatũ à Romanis Pontificibus, contendebant.

Et Heinrychus quidem filius, soluta sy- Bellum gerit filius cõtra patrem & ipsum exauthorat
nodo, exercitum contra patrem parat, & Moguntiam, ubi parens erat, mouet. Atq; hic desino ex historijs reliqua adiungere.

Dolor enim non ſinit nefandum illud inter patrem & filium, principes fortiſſimos, proſequi bellum, atrox & cruentum alioqui ſatis. Neque commemorare poſſum, quæ referuntur in hiſtoriis de exauthorato patre, opera epiſcoporum per filium, deq; incredibili malitia & inſolentia Romanorum ſacerdotum. Non poſſunt illa audiri aut inſpici citra grauiſſimã acerbiſſimamq; animorum commotionem. Qui illa cognoſcere uelit, legat Annalium Boiorum Auentini lib. 5. circa finem, & præfationem lib. 6. Vitam item Paſchalis 2. per Robertum Anglum, Alberti quoque Kranzij de rebus Saxonum lib. 5. à cap. 17. uſq; ad 25. Cogeris fateri Pontifices Romanos iſtius ſeculi ſuis illis Concilijs & artibus, quibus pro monarchia decertabant conſequenda, eccleſiam Chriſti non minus atrociter afflixiſſe, quàm quidam ethnici illi Imperatores Romani, ſuis illis perſecutionibus ab eccleſiæ primordijs fideles excarnificarũt.

Quæ Concilia contraria ſint habita ab Alexandro 3. & Friderycho Barbaroſſa. De Innocentio eius nominis 3. Pont. & Concilio ge-

lio generali ſub ipſo in Laterano Romæ celebrato, de Cruciata, et id genus rebus alijs.

CAPVT V.

DE Hadriani 4. Pontificis Concilijs, faſtu & intoleranda ſuperbia nunc nihil dicam. Scribit de ea Radeuicus hiſtoricus abundè ſatis. Poſt mortem Hadriani duo ſunt electi Pontifices, Alexander eius nominis 3. & Victor. Ille uerò ſuis freTus uiribus, Pōtificatum ſibi uſurpat, mox abit ad regem Siciliæ, huius auxilia petiturus. Inde ad Friderychum etiam ſcribit Barbaroſſam, eo tempore Cremonam obſidentem, poſtulans, ut inſtitutionem aut electionem ſuam haberet ratam. Friderychus legitimis rationibus ſchiſma ſublaturus, dixit ſe conuocaturum Concilium Papiam, in quo cauſam cognoſceret, & diſſidium componeret. Alexander uerò eò uenire modis omnibus renuit, ſuperbè Imperatoris oratoribus reſpōdens, Pōtificē Romanum à nemine debere iudicari. Victor autem ad Concilium Papiam uenit, cauſamq; ſuam ſynodo ſubiecit. Cognoſcitur ergo diligenter omnis controuerſia, audiuntur teſtes, rebusq; diſcuſſis omnibus Vi

Alexander 3.

Concilium Papienſe Imperat.

ctor ex iure Pontifex ab Imperatore & episcopis pronunciatur. Indignissimè hoc tulit Alexander, ac cum suæ factionis hominibus communicato concilio, Imperatorem simul & Victorem anathemate percutit: mox in Galliã ad regem Philippum excurrit, hunc in suas partes pertrahit, inque Claromonte Concilium indicit suæ factionis episcoporum, in quo excommunicationis sententiam contra Imperatorem, atque Victorem confirmat atq; publicat. Cęterùm nouum nihil refero, dum ex historijs Pontificum Romanorum condemnationes mutuas refero. Quinimò commemorabo hic obiter, quæ ante hæc tempora in sede illa acta sint inter Formosum & Stephanum 6. Pontifices, circa annum Domini 898. Commemorabo autem ipsius Platinæ uerbis: Stephanus Põt. creatur, qui tanto odio persecutus est Formosi (qui ad Pontificatum largitione potius quàm uirtute uenerat) nomen, ut statim decreta eius abrogarit, res gestas rescinderit. Hoc odium arbitror ex ambitione ortum fuisse, cum iam eò deuenissent ecclesiastici, ut non coacti, ut antea, sed sponte & largitionibus Pontifi-

Concilium Claromontanum Pontificis.

tificium munus obirent. Hinc odium ortū est, quo etiam in mortuū Stephanus sæuiebat, quod ei antea impedimēto fuisset, quominus optata sede frueretur. Refert Martinus scriptor, Stephanum tanta rabie desæuisse, ut habito Concilio, corpus Formosi è tumulo tractum, Pontificali habitu spoliatū, indutumq; seculari, sepulturæ Laicorum mandauerit, abscisis tamen dextræ illius duobus digitis, illis potissimum quibus in consecratione sacerdotes utuntur, in Tyberimq; proiectis, quod (ut ipse dicebat) contra iura sacramenti Romam & sacerdotium repetiuisset, quo à Ioāne 8. iure spoliatus fuerat, &c. Hæc Platina. Redeo ad intermissam historiam.

Concilium Diuionense.

Imperator legatos mittit ad regem Galliæ, ipsum adhortans, ut suam quoque operam conferret ad tollendum noxium ecclesiæ dissidium, constituitq; Diuionem Concilio locum, in quo utriusque causa Pontificis diligenter discutiatur. Rex annuit, & secum Alexandro affuturum promisit. Venerunt ergo ad Concilium Diuionense condicto tempore Imperator cum Victore. Adsunt etiam ad sopiendam discordiam Hein

rychus 2. rex Angliæ, Reges Scotiæ atque Bohemiæ. Verùm Alexander ad Concilium uenire noluit, quòd Concilium non à se, sed ab Imperatore esset indictum. Sed et Philippus in gratiam Alexandri, Diuionẽ non uenit. Id quod Imperator indigniſsime tulit, inq; Germaniam rediit.

Vuirzburgen. Cõcil.

Post hæc moritur Victor, & Alexãder adhuc in Gallia hæret. Imper. ergo Vuirzburgum conscribit Concilium frequentiſsimum. In eo concordib. uotis à Principibus & Episcopis eligitur in Pontificẽ Guido Cremonen. præsul, ac nuncupatur Paschalis 3. Decretum quoque faciunt, Nullum posthac fore Pontificem Maxim. nisi qui more maiorum, consensu Imperatoris, creetur, atque nuncius duntaxat Christi, succeſſorq; Petri, non etiam Cæsareæ potentiæ pertinax æmulus esset. Ad hæc se sacramento obstringunt omnes in synodo. Facta sunt hæc anno domini 1165.

Alexander III. Romã uenit.

Interea Romani Alexandrum euocant ex Gallia in urbem. Venit is, & exceptus est perbenigne à ciuibus. Pleræq; etiam Italiæ urbes aduentu Pontificis, in spem erectæ libertatis (fauente Philippo rege Gallorum

lorum, & suadente Alexandro Pont.) contradatam fidem & contra iusiurandum deficiunt ab Imperatore. Quod cum intellexisset Imperator, in Italiã præmittit Episcopos Moguntinen. & Colonien. ipse uerò cum exercitu & alijs principibus subsequitur, agrum Romanum, cæde, ferro, flamma, uastat, Rom. ausos conferre pedẽ ad internecionem delet. Octo millia Romanorũ cæsa, tria capta esse, in fastos relatum est. Vrbem deinceps Barbarossa capit, incendit, Alexandro fuga sibi consulẽte: quã tamen tantorum malorum unica & uerissima fuit causa. Auẽtinus Annal. libro 6. un de hæc transcripsi (quæ & apud alios inueniuntur historicos) adijcit superioribus etiam consequentia: Gerochus Richenbergensis præsul, inquit, de hoc dissidio complura scripsit, quibus titulum de Antichristo dedit. Mansit hæc seditio duodeuiginti annos in orbe Christiano. Non commemorabo funestissima bella, cædes, & luctuosissimas clades, quas sub hoc Pontifice Italia accepit & uicissim intulit. Relego lectorem ad historias. Mihi satis est ueluti digito demonstrasse, quantas calamitates hic

Venit & Imp. Romanus, & uastat eam.

Pontifex, qui postea calcem impuram in Imperatoris ceruicem impegit, unctumq; domini conculcauit, in orbem induxerit Christianum, Concilia Imperatoria fugiendo legitima, & sua illa illegitima pertinacissimè ecclesiæ obtrudendo ac defendendo.

Innocẽtius III.

A morte Alexandri creati sunt aliquot Pontifices, sed non imperauerũt diu. Nam post 17. annos euectus est in sedem illã Innocentius eius nominis 3. uir in asserenda libertate, quam uocant, ecclesiastica, & in stabilienda monarchia Pontificũ, strenuus & felix admodum. Persequebatur is graui & implacabili odio Friderychi Barbarossæ genus, nec aliam ob causam, quàm quòd fortiter sese opposuisset Romanis Pontificibus, & pro regno Germanico decertasset, tyrannidemq; Romanam euertere fuisset conatus. Proinde obiecit se Philippo regi filio Barbarossæ ut quàm maximè, foueratq; Otthonis Saxonis partes contra Philippum electi. Fertur autem fortiter dixisse. Aut ego regium diadema Philippo detraham, aut Philippus mihi auferet insigne Apostolicum. Abhorret ab hoc dicto

Innocentij odium implacabile in filios Barbarossę

Ponti-

Pontificis ſuperbo & audaci Vrſpurgenſis abbas in ſuis Chronicis, idem tamen fatetur Pontificem implacabili odio arſiſſe contra proſapiam Barbaroſſæ, atque ideò ſeſe perpetuò oppoſuiſſe Philippo. Ac inter alia, In quo, ait, ſalua reuerẽtia ſedis Apoſtolicę, non uidetur Pontifex ſecundum equitatem iudicaſſe. Et mox, Extat adhuc, inquit, epiſtola præfati Innocentij directa ad Berchtoldum ducem Zaringiæ: in qua contra Philippum multa abſurda, & quædam falſa deſcribuntur: quam fecit inſeri in compilatione Decretaliũ ſuarum, quas magiſter Petrus Beneuentanus ſubdiaconus ipſius poſtmodum in uno uolumine compegit, &c. Queritur ille idem Abbas admodum lamentabiliter, Romanam auaritiam occupaſſe tunc longè lateq; omnia, denique proditionibus, cædibus, incẽdijs, uaſtationibúsque luctuoſa fuiſſe uniuerſa. Lege obſecro, quæ author ille ea de re grauiter ſcribit. Et ne quis arbitretur affectui tributũ eſſe plurimum, aut ſolum iſta hunc tradidiſſe ſcriptorem, audi obſecro lector Chriſtiane, quid lib. 7. Hiſtoriarum eadem de re ſcriptũ reliquerit inſignis hiſtoricus

Romana auaritia.

Auentinus. Spectante, inquit, atque conci tãte Romano Sacerdote, Philippus & Otho cognatas acies committunt: frater aduersus fratrem, filius aduersus parentẽ con confligere cogitur, atque inuicem sanguine se polluunt. Argentoratum, Aquægraneæ, Agrippinensis Colonia, Erdfurdia, pleraq; alia oppida obsessa, cuncta luctu & cæde completa sunt. Quis aliam tantæ discordiæ inter Christianos causam attulerit, nisi Romani episcopi spectaculum, quasi paria componentis? Populus Christianus mutuis se uulneribus, cohortãtib. flaminibus Romanẽsibus, contrucidauit. Hęc ille.

Romani Pont. committunt inter se Germanos & aliorum regnorum populos.

Obseruent autem hic prudentiores, & suæ Christianęq; salutis cupidi homines, uterem esse artem Romanorum Põtificum, committere inter se principes & populos Germaniæ aliorumq; regnorum, ut ipsis inter sese decertantibus, & uires ipsorum attritæ, Romanis minus sint formidabiles, & ut ipsi interim rebus suis fruantur securè, denique ut si rebelles sedi non possint compesci prorsus, ciuilibus bellis saltem fatigati cohibeantur, ne prodeãt ulterius, aut ut factio Romanensis tandem triumphet,

atq;

atque ita ſedes ſtabiliatur Romana. Viderunt noſtri homines in Germania ante annos aliquot nō diſſimilia, ac experimur etiam hodie, quò ſpectēt conſilia legatorum Romanenſium, qui more maiorum, dum prætexunt concordiam & unitatem eccleſiæ, ſemper tecta habent & ſuggerunt diſſidiorum fomenta. Inuigilent ergo ſaluti ſuę omnes Germaniæ aliarumq; nationum populi, caueantq; ne Pontificijs aſtutijs inter ſe commiſſi, nunc quoque concidant mutuis uulneribus, quemadmodum uidēt maiores ipſorum interijſſe.

Concilium uniuerſale Lateranēſe

Idem ille Innocētius 3. Concilium uniuerſale (cuius paulò ante meminimus) Romæ in Laterano celebrauit. Bullam indictionis integrā inueniet, qui uult, apud Vrſpurgenſem in Chronicis. Præcipuam ille Cōcilij cauſam adfert, recuperationem terræ Sanctæ: ideoq; miſſis in omnes Chriſtianorum fines (uerbis Naucleri utor) literis & nūcijs, uiros uidelicet doctos et idoneos, crucem contra infideles prædicare iuſsit: per quos ille plenariam peccatorum remiſſionem promiſit ijs, qui crucē ſuſcíperent, id eſt, ijs, qui Pontificiæ militiæ ſeſe conſe-

crarent. Isto enim tempore (ne id nescias) nouis locutionibus, & nouo quodam prædicandi genere utebantur Romanēses. Etenim si Romanus Pōtifex decreuisset gentem aliquam esse hæreticam, aut bello exterminandam, emittebat prædicatores, monachos inquā, & alios suos emissarios, qui crucem in populo Christiano prædicarēt, id est classicum canerent, suadentes, imò & præcipientes fidelibus, ut arreptis armis, gentem funditus excinderent à Pontifice deuotā. Pollicebantur autem nomine Pontificis (nomine enim Christi non potuerūt, qui nec ita prædicare, nec talem peccatorum remissionem polliceri uspiā in Euangelio iussit) plenariam peccatorum remissionem fortiter pugnantibus, & plurimum sanguinis humani effundentibus. Appellabatur totum hoc negotium Cruciata, cuius mentio non rarò fit in historijs Vincentij & Antonini. Proinde crucem prædicare isto seculo dicebantur, qui ad arma deuotis inferenda excitabant Christianos. Crucem uerò suscepisse, aut cruce sese insigniuisse dicebantur, qui nomina sua militiæ dederant Pontificiæ, atq; operam suam ad

Cruciata, & crucem prædicare, & crucem suscipere.

man-

mandatum Papæ in extirpandis hæreticis aut deuotis fideliter conferebant. A temporibus Vrbani 2. & Claromontani Concilij laniena hæc in Oriente durauerat. Gerebatur quidem hoc bellū à compluribus, (& uiris quidem eruditione & sanctitate præclaris incētoribus) zelo sanè uehementi, sed non ita prudēti. Nam Pontifex prętexebat constanter salutem liberationemq; fidelium inter infideles degētium, sed spectabat reuera ad propagationem imperij sui in Orientem usque, ac utebatur cladibus in Oriente acceptis ad promouendas & stabiliendas res suas in Occidente. Interim enim dum in Oriente grauia geruntur bella, & milites Christiani inde rari redeūt, potuit ille monarchiam Papisticam facilius in Occidente constituere. Sicuti mox in rebus Gregorij 9. apparebit. Nunc enim ad Lateranensis Concilij indictionem redeo, in qua inter alia & hæc continebātur, quod singulis mensibus (rursus uerbis utor Naucleri in compendiū cōtrahētis Indict. Innocent.) fieret generalis processio, seorsum uiris, & seorsum mulieribus constituta, cum orationum deuota instātia, pro ter-

Processiones uel supplicationes & iciunia.

ræ ſanctæ liberatione. Orationi autem ieiunium & eleemoſynam adiunxit, ut his quaſi alis quibuſdam, facilius ad aures dei uolet oratio. Singulis quoque diebus ſub Miſſarum ſolennibus, publicam tam uirorum quàm mulierum in terram proſtrationem fieri uoluit, cum Pſalmo, Deus uenerunt gentes, uerſu ad hoc & oratione diſpoſitis & inſtitutis. Truncum etiam fieri in eccleſijs, ſub tribus diſtinctis clauibus ordinauit, in quo reponeretur eleemoſyna, in ſubſidium terræ ſanctæ. Atque ut homines ad ſumẽdam crucem exhortarentur ſtrictius mandat.

Vide quid prętexatur in Cõcilijs celebrãdis.

Neque uerò ob ſacrum duntaxat bellum uoluit celebrari hoc Concilium Pontifex. Sed in hunc etiam finem, ut reformaretur eccleſia, tollerentur ſchiſmata, extirparentur uitia, uirtutesq; plantarentur, corrigerentur item exceſſus, repurgarentur mores, eliminarentur hæreſes, roboraretur fides, ſedarentur diſcordiæ, ac ſtabiliret pax. Hæc omnia in Indictione illa legũtur: quæ in præſenti non fruſtra commemoraui, ſed ut pij cum his conferant ea, quæ noſtro ſeculo in Bullis leguntur Pontificum, quibus

bus sua indicunt Concilia. Insistentes enim maiorum, ac maxime huius Innocentij uestigijs, pollicentur se summa diligentia tractaturos de reformatione Cleri & morum corruptorum, de extirpandis hæresibus, & stabilienda doctrina catholica, ac etiam de bello Turcis inferendo. Cæterùm dum à 300. annis subinde reformationem cleri, abusuum, & morũ pollicẽtur, hæc autem subinde appareant corruptiora in ecclesia, ac isti tot annis non emendauerint uel minimum in ecclesia abusum, aut animaduerterint uel tantillum in fœdissimã & fœtidissimam cleri uitam, quã uniuersus hic mundus accusat uehementissime, quis inde nõ colligat, quid sibi promittat uir pius existorũ pollicitationibus concilijsq; ? nõ reformationem utique ecclesiæ iustam, sed deformationem turpem, & deformationis confirmationem & defensionem. Concilium porrò ipsum coijt frequentiori prælatorum & legatorum turba, quàm congregatũ sit ullum antea aliud. Quæ de fide & imprimis de Transubstantiatione, in ea sint decreta, leguntur in principio Decret. de summa Trinitate & fide catholica. Fir-

Nulla reformatio potuit in ullo impetrari Cõcilio.

Decreta Concilij Lateran.

miſter. Fuit etiam hoc inter alia decretũ, ut chriſma ſimul & Euchariſtia ſub claui ſeruetur, ut quotannis priuata fiat proprio ſacerdoti confeſsio peccatorum: ut electio facta per ciuilem magiſtratũ in ſacris beneficijs, uim nullã habeat: ne qui ſunt ordinis eccleſiaſtici fidelitatẽ ijs, qui laici dicuntur, ſine cauſa, promittãt: ne cõſtitutiones principum eccleſijs præiudicẽt: ut ab omni cõtributione immunes ſint eccleſiaſtici: ne tributa ſoluantur aut decimæ. Adhæc graue tũ erat inter Græcos atque Latinos diſſidium. Nam ſuper quibus aris Latini, id eſt Papiſtæ ſacrificaſſent, eas contrectare Græci nolebant, niſi prius lauiſſent eas & expiaſſent. Deinde baptizatos à Latinis, rebaptizabãt. Fit ergo decretũ, ut ad eccleſiam Romanam matrem ſuam reuertãtur, quò ſcilicet unus ſit paſtor et unũ ouile, ni pareant feriuntur anathemate. Extant adhuc Acta huius ſynodi Lateranen. Cæterùm Græci nolebant agnoſcere primatum Romani Pontificis confictũ ab ipſis Pontificibus Romanis, non traditum à Chriſto domino, quẽ illi ſummũ agnoſcebant Pontificem. Cumq; accepiſſent maiores ipſorũ ab

ab initio prædicationis euangelicæ doctrinæ ab apostolo Paulo, non agnoscebāt Romanam ecclesiam matrem. Itaq; augebantur quotidie odia et dissidia inter Græcam & Latinam ecclesiam propter Rom. ambitionem. Dedit præterea malū ingens fidelibus cōsultatio de prosequēdo bello sacro. Etenim testātur historiæ cædes & mala ingentia Conciliū hoc Lateranēse fuisse cōsequuta. Multorū principū nomina recenset, qui militiæ se consecrauerint Innocentianæ, Nauclerus: uerum historiæ etiam testantur expeditionem illam & bella Orientis non admodum tunc quoq; quemadmodum & antea feliciter cessisse Christiano populo. Quid ergo habuit ex Concilijs illis Pontificijs miser Christi populus, nisi turbas & calamitates maximas?

De graui dißidio Gregorij 9. Pontificis & Friderychi 2. Imperat. contra quem ille cū Italiæ populis conspirauit, tandem Romæ in Laterano Concilium indixit: et quæ contra eundem Imperatorem instituerit Innocentius. 4.

CAPVT VI.

DEcretum Lateranen. Concilij de bello Saracenis inferendo & recuperan

Honorius III unione prouocat ad bellum.

da urbe Hierosolymorum, ante annos 16. amissa, Honorius eius nominis III. Innocentij III. successor, urgebat ualide. Affirmabat sibi uisione, per beatum Petrum exhibita, promissum, ipso Pontifice, recuperandam fore urbem Hierosolymorũ. Qua re animati aut potius demẽtati plures Romanorum & Alemannorum, crucem susceperunt. Sed euentus declarauit, Pontificem falsum fuisse prophetam. Saracenus enim omnes Hierosol. fideles crudeliter contrucidauit. Gregorius quoq; IX. Honorio succedens, anno domini 1227. non minus ursit bellum illud infelix Hierosolymitanum, quam reliqui ante ipsum Pontifices. Nam Imperatorem Friderychum eius nominis II. principem præcellentissimum simul atque in cathedra Pontificis consedisset Romana, sub anathematis pœna monuit, ut primo quoque tempore in Asiam cum exercitu proficiscatur, recuperandæ Hierosol. causa. Cumq; non illico ad Pontificis mandatum exercitum transponeret in Asiã, anathemate ipsum percussit. Quærebat uidelicet causam uiamq; opprimendi ipsum. Vt enim hic Pontifex genus ducebat

Gregorius IX.

cebat ex eadem cum Innocentio familia, ita ingenium Innocentij ambitiosissimum & audacissimum, odijq; plus nimium retinens, probe cum in dictis tum in factis exprimebat. Obseruauit hoc in historia sua Auentinus, cum dicit: Friderychi potētia, uires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, uicinitas (nam in Italia contra morem ueterum Imperatorum habitabat, Germaniam per filium administrabat, bis duntaxat ex Italia in Germaniam egressus) formidolosa atque suspecta fuere Romano sacerdotū senatui. Id quod Gregorius 9. non it inficias, sed ingenue fatetur. Videbatur illis Germanū imperium magis florere, quàm ipsis utile foret. Placuit ergo id contundere, atque discordia non solum debilitare, sed in cineres quoq; atq; fauillas redigere, & Frider. hūc è fastigiorum humanarū deturbare. Hæc ille.

Friderycho 2. in Asiam profecto Gregorius 9. occupat Appuliam.

Ergo cùm Friderychus tandem sub annum domini 1228. profectus esset ualido cum exercitu in Asiam, Pontifex protinus quod animo dudum conceperat, data occasione, facto perficit, Appuliāq;, quæ Friderici parebat imperio, inuadit & occupat.

Quam historiam his uerbis recitat Vrspur gensis. Papa, inquit, captata occasione de absentia Imperatoris, copiosum exercitum destinauit ad Appuliã, & terras Imperatoris in seruitio Christi demorãtis (quod nefandissimum est dicere) abstulit, & sibi sub egit, & cruce signatos, ne transfretarent, omni studio prohibuit tã in Appulia, quã in Lombardia. Ac anno domini 1229. tradit Soldanus Hierusalẽ, Nazareth & Ioppe cum terris adiacentibus, & nonnullis aliis locis Friderycho, inducíæq; sunt pactæ inter Saracenos & Christianos per integrũ decẽnium.. Quod cùm Imperator scriptis literis, nunciisq; missis Pontifici lætus annũciasset, Pontifex literas abiecit, & rumorem sparsit per Italiam, Friderychum esse mortuum. Eam ob rem ciuitates, quæ adhuc adhærebant Imperatori, cogitabãt sese dedere Pontifici, & omnes Alemannos de terra sancta redeuntes, & iam in Appulia demorantes, nequissimo facinore trucidare. Interea redit Imperator, & ablatas sibi terras recuperat, hostemq; ex finibus suis eijcit. Ista omnia sunt Vrspurgensis.

Et quamuis iure potuisset sæuire in Gregorium,

gorium, maluit tamen suo etiam detrimento in concordiam cum ipso redire. At cùm animus Pontificis prorsus à Friderycho alienissimus esset, quiescere nõ potuit. Clanculo enim conspirat cum Venetorum duce, cũ Mediolanẽsibus, Bononiẽsib. Brixianis, cæteriſq; Langobardis. Sed ne Germania laboranti Imperatori suppetias ferret, statuit submissis nunciis per Germaniã serere discordias. Simul autem atque hæc cum suis occultè tractat, prorumpit etiam, & Imperatorem rursus ferit anathemate, tres etiam contra ipsum Bullas protrudit. Primam dat ad uniuersos Christianos, bestiam in ea Friderychum nuncupans, accusatq; impietatis & grauissimorum scelerum, indignum esse affirmans, cui Christiani pareant. Vniuersos itaque sacramento, quo ei obstricti erant, absoluit. Altera bullam dat districtè omnibus per orbẽ Christianum pastoribus, ut sententiam excommunicationis in Frider. & eius fautores latam, publicè in templis, pro concione, adhibitis cera & ære, absque mora, populo denuncient: ac insuper omnes inobsequentes etiam excõmunicent. In postrema bul-

Gregorius 9. conspirat in Friderychum cum Italis.

Furor Gregorij IX. contra Frider. II.

la Imperatorem nuncupat hæreticum Papa, ac uniuersis pariter Christianis, qui deũ sibi uelint esse propitium, præcipit, ne Friderycho uel uerbo, aut etiam animo sint fautores. Cum literis autem mittit in Germaniam legatos tres, Ranærium, Philippũ atque Albertum, insignes ueteratores, qui discordias sererent ubique, & quoscunque possent, diuitijs, pollicitationibus, sacerdotijsq; in suas attraherent partes. Hæc omnia ex Auentini historia recensui. Addit ille, Boios Sueuis, Bohemos Misnen, Austriacos Morauis, Saxones Turogis, uniuersos quoque inter se commissos concertasse: omnia per Germaniam tumultu completa esse, omnesq; conclamasse Romanũ Pontificem indignum facinus præter phas atque æquum incœptare.

Frider II. scriptis se purgat literis.

Eodem tempore scribebat Imperator et ipse uarias in Germaniam epistolas, quibus partim sese expurgabat ab aspergini-bus conuiciorum Pontificis, partim coarguebat inuictam Pontificis nequitiam, adhortans omnes ad præstandam, quam Imperatori debebant, fidem. Extat insignis epistola ad Vuenzeslaum Bohemiæ regem scripta

scripta, in qua inter alia dicit, qui sint Romanēses illi, opera eorum ostendere. Christum mundo pacem dedisse, illos bella ciuilia propinare. Gregorium 9. captum Imperij consuetudine, ut solus regnet, omnia perturbare atq; cōmiscere, cuncta tumultu complere. Iamdudum Roman. Pont. diuinitatem affectare & astute id dissimulare, Germanicas uires ab his timeri, quas ne noceant aut impediant, inter se committi. Plura huius generis alia prætereo prudēs, ne nimis sim prolixus.

Postremò cū cerneret Pontifex artibus, fœderibus, & uiribus nullis se posse Friderychum opprimere, ad uetera Pontificū refugit auxilia, ac apud Lateranum indicit Concilium, quod fauore regum quorundam, quos in suas partes attraxerat, celebrare instituerat, ac in ipso tractare de abrogando imperio Friderycho, de reformatione ecclesiæ, ac recuperatione terræ sanctæ. Imperator uerò cum sentiret Concilium hoc illegitimū fore Concilium, terra mariq; itineribus obsessis, aduentantes ad Concilium partim prohibuit, partim etiam intercepit. Quod ita doluit Pontifici, ut mœrore con

Concilium Lateranen.

Decretales Grego. IX.

tabescceret & moreretur. Hic est ille Gregorius, qui opera cuiusdam Raymundi Barchinonen. Decretales edidit circa annum Domini 1237. Vidit homo uafer regibus Germanorum tam infensis animis reniten tibus, pontificatum ægre confirmatum iri, nisi legibus latis, & his quoque cum autho ritate promulgatis, & in Scholas atque iudicia introductis. Vnde in præfatione, Vo lentes igitur, inquit, ut hac tantum compilatione uniuersi utantur in iudicijs & Scho lis, districtius prohibemus, ne quis præsumat aliam facere, absque authoritate sedis apostolicæ speciali. Sed quid de his iudicet uir doctiss. Marsilius Patauinus, qui legere cupit, legat Defens. Pacis Dict. 2. cap. 24. & 24. &c.

Surrogatur ergo illi post Celestinum Innocentius 4. omnium Pontificum Romanorum ditissimus, sicuti Martinus refert historicus. Huic plurimum confidebat Friderychus, sperans ipsum fore pacis amantem. Sed quàm turpiter optimus princeps sit falsus, ipse declarauit euentus. Pontifex enim migrauit in Galliã, Gallorumq; consilio Concilium Lugduni conuocat, in quo

Lugdunen. Concilium contra Friderychum.

Impe

Imperatorem percutit anathematis fulmine. Sententia condemnationis legitur etiã hodie in sexto Decretal. de sententia & re iudicata. Habebat in Concilio illo Oratores suos Imperat. sed impedire isti non potuerunt, quo minus condemnaretur Imperator, eidẽq; abrogaretur imperium, deferendum mox alteri. Rursus ergo ad arma concurritur, rursus dissensionibus misera diuellitur à se inuicem Germania. Iacobus enim Vuimphelingius in Epitome rerum Germanicarum cap. 38. Et ne in Germania, inquit, res quietæ essent, electores Imperij, authoritate Innocentij innixi, Heinrychum Lantgrauiũ Thuringiæ Alemannorum Romanorumq; regem designant: & Conradus adolescens Alemanniæ rex à Frider. genitore pridem institutus, Thuringum regni ingressu & possessione prohibet. Sed prædicata in Conradum Friderychumq; fautores (iubente Pontifice) Crucis signatio, multos in noui regis Lantgrauij præsidia fautoresq; conciuit. Breui tamen Lantgrauius uictus apud Francfordiam, fugatusq; mortuus est. Hæc ille. Multa quoque cum Episcopis Germaniæ

tractat occulta Pont. consilia. Vnde nonnulli eorum quidem, qui hactenus iuuarãt Imperatorem, iam etiam ab ipso deficere incipiunt. Pontifex enim mandat Germaniæ Episcopis, ut synodum cogerent, & in ea Ottoni Bauarorũ principi mandarent, ne Friderycho adhæreat, aut excommunicationis sententiã expectet. Cõuocatur ergo synodus Myldorffij, in qua et princeps Bauariæ apparet, & audit, quæ ipsi proponebantur ab Episcopis. Cæterùm intellecta re iniquissima, ad Episcopos conuersus, Vos, inquit, prædicastis Romanum episcopum esse Antichristum. Vnde defecta primarij sacerdotis secta, ad Imperatorẽ defeci. Vos suasistis, uobiscum pacem inij: nũc rursus bellum uobis placet. Vento fortunę circunferimini. Aut nunc erratis, aut errastis antea. Pacẽ inire cum optimis principibus suasistis: parui libenter uestris consilijs: pacem & fidẽ seruabo. Qui sitis, opera uestra ostendunt. Opes, potentiã, honores, uoluptates & munera appetitis. Pro hisce uicti cupiditate, atrocius Turcis & Saracenis decertatis. Discordia creuistis: oues nõ pascitis, gregem discissum deuoratis. Non licet

Synodus Myldorffiana.

Oratio ducis Bauarię contra episcopos in synodo.

licet per uos Christianis seruare pacem. Ergo deo fauente, animum obdurabo, & diras uestras execrationes nihili faciam. Ad Christum seruatorem nostrum prouoco, qui tales Pharisæos nos uitare iussit, & execrationibus uestris se benedicturum promisit. Ea oratiõe libera & uera effecit princeps, ut cum eo in gratiam redirent episcopi, nec anathemate, sicut Pontifex mandauerat, ipsum percuterent. Quæ omnia huc ex Auentino adscripsimus. Non commemorabo hic, quę idem hic Innocentius designarit cõtra Conradũ Friderychi filium, aut quomodo Vrbanus 4. & Clemens 4. hęredes Friderychi paterna hęreditate exturbarint, necię tradẽdos curauerint. Reperiuntur hæc non modò apud Auentinũ, sed passim etiam in omnibus propè synceribus historicis. Ad Gregorium decimum uenio.

De Bello ciuili per 200. annos gesto à Pontificibus & Imperatorib. De Gregorio X. & uniuersali Concilio Lugdunensi De Clemente item V. & uniuersali Concilio Viennensi. CAP. VII.

Bellũ Pontificiũ & imperatoriũ gestum per annos ducentos.

A Morte Clementis 4. uacabat sella illa Romana duobus annis, postea impositus est ei Gregorius X. nuncupatus. Historici quoque in administratione Imperij, à morte Vuilhelmi Hollandi interregnum ponunt, ad annos usque propemodum 18. ad electionem usq; sereniſſimi regis Rodolphi Habspurgij. Atrocia enim grauiſſimaq; bella illa, quibus Põtifices omnia propemodum regna orbis Chriſtiani, Germanicum & Italicum imprimis conturbarant, atque euerterant ferè, eò res impulerant, ut pauci admodum imperium appetere uiderentur. Certè bellum hoc ciuile, ſiue imperatorium, ſiue pontificium, ſiue utrunq; dixeris, durauit per annos 200. Nam geri cœpit circa põtificatum Gregorij 7. anno domini circiter 1073. inde hucusque propè geſtum eſt, dum eligitur Rodolphus anno domini 1273. Neq; arbitror poſt bellum ſacrum facilè inueniri bellum aliud atrocius & maius, adde & mirabilius. Imperatores enim prouocati ferè à Rom. Pontifice, pugnarũt armis & uiribus ſuis, quibus potuerunt maximis, Pontifices uerò certarunt artibus, dolis, & ferè armis alienis

lenis: ut nunc maximè impletum uideri posſit uaticinium Danielis dicentis, Et roborabitur fortitudo eius, ſed non fortitudine ipſius, & mirabiliter uaſtabit, & proſperè illi ſuccedet, & faciet, & uaſtabit robuſtos, & populum ſanctorum. Et per intellectum ſuum proſperabit dolũ in manu ſua, & in corde ſuo magnificabit ſeſe, & in pace uaſtabit multos: quin etiam aduerſus principem principum conſurget, & ſine manu conteretur, &c. Daniel. 8.

Porrò eodem anno electi ſunt Rodolphus & Gregorius 10. Rodolphus princeps egregius prædeceſſorum ſuorum exemplo territus, nunquam ingredi Italiam uoluit, licet non ſemel inuitaretur aut eò propelleretur, ut iret. Prętexebat palàm uaria & multa negotia, quibus impediretur, quominus proficiſceretur, ſed apud amicos teſtabatur ſe certas iuſtaſq; ob cauſas abhorrere ab Italia, adferens Aeſopi apologum de uulpe, quæ leoni in ſpelunca ægrotanti dixerat, ideò ſe ab ingreſſu terreri, quòd ingredientium quidem animantium ueſtigia multa, nulla uerò egredientium uideat. Ad eundem enim modum conſidero, ait, Rodolphus rex non uult ingredi Italiam.

plures Imperatores ualidis exercitibus ſtipatos atque inſtructos Italiã ingreſſos, ſed afflictos rediſſe, aut interiſſe propè omnes. Papæ ergo bellis diutinis robur Imperatorum ita fatigarant, ut excluſis iam Italia Imperatoribus, Roma ſua pacificè fruerentur. Turbatum eſt tamen illis hoc gaudiũ rurſus ſub Ludouico Bauaro. De quo in præſenti nihil dicam.

Concilium Lugdunenſe.

Gregorius x. in Gallia Lugduni Concilium indixit, quod & ipſum inter uniuerſalia recenſetur. Fuerunt in eo Concilio Græci, cum quibus diſputatum eſt de proceſſione ſpiritus ſancti. Extant adhuc libri tres, illo ſeculo de proceſsione ſpiritus ſancti ſcripti à Hugone Etheriano, uiro ſanè doctiſſimo, ad Alexãdrum Pontificem IIII. qui præceſsit hunc Gregorium annis tantùm decem. Conſultatum eſt quoq; in hac ſynodo de cleri reformatione, ſed nihil prorſus productum eſt in effectum. Rectè enim reformationem cleri in Concilijs dixeris eſſe telam Penelopes, de qua nobis hoſce uerſus reliquit Homerus Odyſs. 2.

Reformatio cleri recta Penelopes.

Illa diurna quidem ingentem contexere telam,
Verùm eadem admotis ſoluebat nocte lucernis.

Zopfinu

Zopffnonnas duntaxat, genus fœminarum seu nonnarum sacratarum aboleuisse in illa synodo dicitur ab Auentino. Adfuit huic Lugdunensi Concilio Michael Paleologus Imperator Græcus, qui per fraudem & cædem pupilli sibi commissi Imperium inuaserat, trucidato Theodori Lascaris F. Dedidit autem hic Michael sese sedi Romanæ, at Græcis inuitis ac reclamantibus, adeoq; ei indignantibus, ut nec mortuo iusta persoluerint, nec locum sepulturæ concesserint. Qua de re scribit Blondus, & in Epitome sua Iac. Strada. De bello autem Saracenis inferendo, & recuperanda Hierosolymorum urbe actum est in illa synodo plurimùm. Nauclerus Gener. 43. In Lugdunensi Concilio, inquit, Pontifex pro expensis transitus ad terram sanctam imposuit decimam à Christianis per sex annos soluendã. Prędicari item fecit crucem, concedẽs plenariam remissionem & indulgentiam assumentibus crucem, & eũtibus uel saltem mittentibus unum uel plures milites. Auentinus Annal. lib. 7. Ab omnibus, inquit, decimæ superbè atq; auarè sunt exactæ. Et licet Gregorius eodem anno ani-

mam efflasset, nihilominus tamen Romani flamines decimas per sex annos, extorta per uim pecunia, à Germanis emunxerũt, rumoremq; dissipabant de suo periculo atque stipendio, & quòd Palestinam, Asiam, Aegyptum atq; Aphricam eripere uelint Saracenis, Turcis atque Tartaris. Quamobrem & Rodolphus illa lege atque omine Pontifici Bononiam, præfecturas, ducatus, urbes, regiones Italiæ hactenus Imperatoribus parentes (Romandiolam Martinus uocat) quæ quotannis milia dragmarum auri septingenties pensitarũt, cõcessit. Quemadmodum & Maximilianus anno ab hinc 10. principibus aperuit, edictoq; dato ex Oenobriga 13. Cal. August. Anno Christi 1511. cõquestus est. Hęc ille. Coniecit haud dubie optimus hic princeps hanc offam in os istius cerberi, qua placatus, electionem eius ratam haberet, promptiusq; (alioqui enim difficiles se Pont. exhibere solent) in imperio confirmaret. Ac Rodolphum occurrisse in itinere Pontifici à Concilio redeunti, uersiculi, qui in omniũ prope historijs consignantur, indicant.

Contributio Rodolphi Imper. ad sacrum bellum.

1521.

Bis sexcenti septuaginta tresq; stetere

Anni

Anni, Lausannæ d um rex & Papa fuere.

Proinde quemadmodum priores Pontifices ciuilibus bellis regna pleraque, Germaniam uerò imprimis, exhauserunt, ita posteriores nō cessant ad bella inhortari transmarina, & iam etiam ad bellum Siculum, si mul etiam exactiones imponere nouas & graues, quibus sub prætextu bellí necessarij, pompæ & luxuí suo satisfaciant. Quo imprimis illud pertinere uidetur, quod in historiarum suarum lib. 7. commemorat Auentinus.

Exactionibus Rom. Põt exhauriunt Germaniam.

Mittit Honorius IIII. (circa annum domini 1287.) legatum in Germaniam Ioannem Episcopū Tusculanum, postulatum ut Cæsar (erat is Rodol. Habspurgius) cum exercitu Romam petat, Augusti nomen suscipiat, & Campaniā, Calabriam, Appuliam et Siciliam, pulsis Gallis et Hispanis, imperio asserat: deinde quartas per quinquennium omnium rerum suarum Episcopi sacerdotes atque monachi, ad stipendia contribuant. Eam ob rē Vuirzburgi conuocatur synodus ab Imperatore & Pontifice frequentissima. Cæterùm audita propositione, ita animis exarsere prælati omnes,

Honorius IIII.

Vuirzburgen. synod.

ut legatus pontificius, qui in synodo præsens erat, crederet se nō amplius incolumi uita euasurum. Multis exponit historicus ille uehementem orationem in synodo habitam Episc. Tullē. qui erat Probus Tubingensis professione Franciscanus & theologus. Inter alia hęc illū dixisse testatur, Quousq; collegæ charissimi, Romulæi illi uultures patietia nostra, ne dicam stultitia, abutentur? Quousque eorum flagitia, auaritiam, superbiā, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc genus archisynagogon pessimum, nisi omnes ad egestatem & seruitutem durissimam redegerit. Discordia nostra hoc malum creuit, discordia nostra illi nebulones tuti sunt, nec illis regnantibus unquam licebit nobis pacem & pietatem colere. Nuper Saxones & Sueuos inter se commiserunt. Deinde Friderychū II. Reipub. utilissimum, Conradum IIII. principes Sueuos, imperio simul & uita priuarunt. In Germania discordiæ mala seminarunt. Conradum deinde insontissimum & optimæ indolis adolescentem, iure gentiū hæreditatem maiorum repētem, fraude, doloq; interceptum, necarunt. Sueuos atq;

Episcopus Tullē. Probus contra auaritiam Rom. facerdotum.

Francos

Francos, Vestriacos inter se armis commi serunt. Deinde aduersus hos Hispanos con citarunt: nunc nos aduersus Galliæ atque Hispaniæ principes, cognatos nostros, ex Germania quondam profectos, concitare nituntur. Quod ante 12. annos, Gregor. X. cum decimis egit, id ipsum Honorius IIII. cum quartis aget. Ille ut aurum emũgeret, Turcas in nos armauit: & hic uectigal magis quàm nos saluos uult. Hæc aũt deo acceptanon esse, euentus ipse probat. Proinde expergiscimini. Et reliqua quæ sequũtur.

Post annos 32. à Concilio Lugdunen. euectus est in sedem Romanam Clemens eius ominis V. anno uidelicet domini 1306. Hic similis per omnia suis maioribus Heinrychum Imperatorem eius nominis VII. Luzeburgen. in Italiam euocauit, armisq; ipsius maximã intulit cladem Italiæ. Eam rem in uitis Pontificum attingit Platina, in uita Clementis V. & inter alia dicit, Libuit hactenus commemorare hæc incommoda Italis illata: quorum omnis culpa à quibusdam in Clementem transfertur, qui Heinrychum impulerit cum exercitu in Italiam ingredi. Sunt tamen qui scribant id ex uti- Clemẽs V

litate prouinciæ à Clemente factum, ob inteſtina mala: quæ quotidie cum magna hominum cæde in unaquaque ciuitate, imò in quouis etiam paruo caſtello, committebantur. Cædebantur ciues, necabantur ſenes, allidebantur infantes, nec ullus modus crudelitatis erat. Vnde Clementi placuit, quod apud Homerum eſt, Vnus ſit princeps, ad quem omnia referantur, &c.

Concilium Viennenſe uniuerſale.

Affirmat idem ille ſcriptor Clementem hunc tribus Conciliis diuerſis in locis, uariiſq; temporibus habitis multa prudenter egiſſe. Ego inter illa Viennenſe arbitor eminere. Nam numeratur etiam inter uniuerſalia. Coēpit anno domini 1311. Librū Clementinarum ille abs ſe compoſitum, edidit in illo Concilio, & Concilium hoc approbauit: quod Carranza aſſerit. Nauclerus, Librum Clementinarum, ait, Clemēs, propter multos laqueos (ut quidam ſcribunt) in fine pœnitens reuocauit, & comburi mandauit: quem tamen Ioan. 22. ei ſuccedens rurſus cōfirmauit. In Gregorij Decretalibus epiſtolis, in Sexto Bonifacij, in Clemētinis & Extrauagātibus, uti uocant, hæc inter alia decreta referuntur, Decretis

Conci-

Conciliorum autoritatē Papę non ſubijci, Pontificis eſſe Cæſarem electum approbare, uel minus idoneum reijcere. Duo præeſſe mundo luminaria magna, Solem atq; Lunā. Solis loco Papam eſſe, Cæſarem uero Lunæ. De Eccleſię Romanę priuilegijs ſolum Papam cognoſcere. Cæſarem teneri ut fidem & fidelitatem Pontifici præſtet per iuſiurandum. Eccleſiaſticos oportere ſolutos & liberos eſſe ab omni ſumptu, moleſtia, munere. Ad ſalutē eſſe neceſſarium, ut omnes homines Pōtifici Romano ſubſint. Et multa huius generis alia. Quæ omnia hic commemoro, ut omnes liquidò uideant qualia fuerint illa Concilia, in quibus oligarchicæ huiuſmodi leges & receptæ ſint & approbatæ. In hoc ipſo Viennenſi Concilio ait Carranza factam eſſe conſtitutionem, ut feſtum corporis Chriſti celebretur feria 5. poſt octauam Pentecoſtes, concelsis indulgentijs ijs, qui officijs huius feſtiinterfuerint. Sicut habetur in Clementinis, de reliquijs & uenerat. Sanctorum. Sciendum uerò Vrbanum eius nominis IIII. feſtum hoc primum inſtituiſſe anno domini 1264. & Thomam Aquinatem ſcripſiſſe

Leges Pontificiæ oligarchicæ.

Feſtum corporis Chriſti.

qui unus & solus est ecclesiæ, omnium inquam electorū caput à seculo in seculum. Vrbano adhæsit Italia, Germania, Pannonia: Clementi Gallia & Hispania. Vtraq; pars execrabatur alterā, utraq; suum Pontificem adserebat uerum esse Christi uicarium, aduersum uerò apostaticum. Multæ & uariæ erāt de hac re disputationes & contentiones per orbem, sicuti testatur Naucle rus sub finem Generat. 46.

Scribitur contra sedē Romanam.

Dissensio autem illa uehementissimè ecclesiam concutiebat Romanam, eranq; in omnibus propè regnis, qui Pōtificatui non multum porrò tribuerēt, potius autem refugerent ad Christum uerum Pontificem. Multa tunc multi conscripserūt uolumina contra Romanam sedem: inter quos fuere Vuicleuus Anglus, & Hussus Bohemus. Adacti ergo malorū ui Cardinales à morte Innocētij VII. grauissimis sese iuramentis obligarunt, modis omnibus curaturos, ut reduceretur unio Romanæ ecclesiæ, eamq; ob causam elegerūt Gregorium XII. quem & iuramento astrinxerūt, quòd omnia tentaret, quæ ad unionem reparandam facere uiderentur. Scribebat is ad Benedi-

Gregorius XII.

ctum

ctum XIII. Pontificem Auenionensem, inuitans ipsum ad unionem iuuandam, & ad abdicationem mutuam. Benedictus benignè respondet, & se omnia facturum pollicetur, quæ faciant ad pacem. Interim nihil promouetur in re alioqui graui, dum uterque cessat libenter, ac dominatione fruitur percupidè. Cardinales itaque conueniunt, & generale Concilium in urbe Pisarum instituunt celebrandum. Anno itaq; domini 1409. conueniunt in ea urbe, ex diuersis nationibus episcopi, et relatione omnibus facta (uerbis utor Naucleri) de scandalo, quod inferebant duo Pontifices, colludentes inuicem, & nolentes unionem ecclesiæ seriò quærere, uti promiserant, decernunt oratores mittere ad Pontifices, qui utrunque uocent ad Concilium. At Benedictus irrisisse dicitur istorum conatũ. Gregorius uerò renunciasse Concilio legitur, non ad eos pertinere Cõcilij indictionem aut conuocationem, sed ad ipsum, utpote uerum Pontificem Romanum. Se autem uelle, ut Concilio Foroiulij celebretur. Cæterum synodus Pisana contra non comparentes, sed contumaces Pontifices sen-

Concilium Pisanum.

Damnantur per Concilium duo Pontifices.

tentiam depositionis & priuationis, quam uocant, promulgauit, & utrunque crimine hæreseos ac schismatis condēnauit, prohibendo omnibus fidelibus ullam his præstare obedientiam. Præterea alium Cardinales in conclaui elegerunt Pontificem, Petrum Cretensem Card. Mediolanen. ordinis minorum: quem nuncupauerunt Alexandrum v. Munificus hic in pauperes fuisse dicitur, adeò ut ipsi propemodum deessent necessaria. Vnde per iocum ipse dixisse legitur, Fui diues quidem Episcopus, sed pauper Cardinalis, mēdicus uerò Pontifex. Sedit in illa sede anno non amplius uno. A cuius morte electus est Ioā. XXIII. quem alij numerāt XXIIII. Sed cum neq; Gregorius neq; Benedictus tanti facerent definitionē ac depositionē Pisani Cōcilij, ut Pontifices nihilominus esse pergerent, triceps facta est Romana ecclesia.

Tertius creatur Pontifex.

Ergo Sigismundus Imperator multa egit cum Pontifice Ioāne, de tollendo schismate, neque aliud inuenerunt remedium, quàm Concilium uniuersale: quod Cōstantiæ ad lacum Acronium, quem nuncupant Podmicū, celebrare placuit utriq;. Vterque

Sigismund. Imperator.

que etiam illuc uenit. Initium accepit Nouemb. 1. anno domini 1414. Finem non alium ei designarunt quàm illũ ipsum, quẽ ab Innocentio III. omnes Pontifices omnibus suis præscripserunt Concilijs, ut in eo uidelicet agatur de eradicandis hæresibus, & confirmanda fide catholica, de reformatione ecclesiæ, tam in capite, quàm in membris. Belli Turcici, quod ego quidem sciũ, nullibi, sicut priora, meminerunt: pro hoc tamen capite reposuerunt tractationem de tollendo schismate, quod iam durauerat à morte Gregorij per annos circiter 38. Extant sessiones huius Concilij 45. typis excusæ, ut has liceat ei, qui uelit, cognoscere copiosius. Concilium uniuersale Cõstãtien.

Damnata sunt in hoc Concilio dogmata Ioannis Vuickleffi Angli, uiri alioqui doctiss. recollecta in articulos 45. ut uidelicet Sess. 8. Damnatus est & Ioan. Hussius Bohemus, uir eruditione & sanctimonia uitæ præclarus, qui etiam fide publica Cæsaris data & accepta, illuc uenerat. Sed capiebatur mox à põtificijs, & in tetros reludebatur carceres, è quibus productus, & nihilominus diligenti septus custodia, Ioan. Vuickleff & Ioan Huss. & Hieron. Pragen. damnati.

ad reuocandam ſuam doctrinam multum & improbè urgebatur, tandem uerò cùm omnino reuocare nolliet, crudeliter cõburebatur. Parí crudelitate ſublatus eſt & Hieronymus Pragenſis, uir eo ſeculo præclariſſimus. Scripſit de huius interitu doctam epiſtolam Poggius Florẽtinus, ſicuti & Latina et Germanica lingua ſcripta extat Huſſij, addę & Hieron. hiſtoria. Exuſtus eſt Ioannes Huſſius menſe Iulio, anno 1415. Hieron, uerò menſe Maio, anno ſequẽti 1416.

Prohibetur laicis poculum Cœnæ dominicæ.

Inter hæc auſa eſt ſynodus hęc, temerita te irreligioſa ſanè, inſtitutionem Cœnæ dominicæ ſacroſanctam euertere, ſeſſione 13. ubi ingenuè interim fatetur, quòd in primitiua eccleſia ſacrum hoc myſterium receptum ſit à fidelibus ſub utraque ſpecie, nihilominus tamen authoritati diuinæ & primitiuæ eccleſiæ exemplo anteferre, neſcio quam conſuetudinem introductam à patribus, quæ habenda ſit pro lege, & in hæc uerba tandem pronunciare non ueretur, Quapropter dicere, quòd hanc conſuetudinem aut legem obſeruare ſit ſacrilegũ aut illicitum, cenſeri debet erroneum, & pertinaciter aſſerẽtes oppoſitum præmiſſorum, tan-

quam hæretici arcendi, & grauiter puniendi sunt. Qua re non uideo, quid dici potuerit à tot & omnium existimatione uiris tantis incogitantius, ut ne quid dicam durius, quàm quod definierunt hæreticos esse, & grauiter puniẽdos esse, qui credãt, sentiant, faciantq́, quod Christus ipse senti re, credere & facere iussit, & primitiua ecclesia fecit. Conferantur hæc cum ijs, quæ tradita sunt apertissimè à sanctis Euangelistis Matthæo, Marco & Luca, & quæ repetita sunt à sancto Apostolo Paulo, testificataq́ uetustatis totius manifestissimis testimonijs atque iudicijs, ac inde iudicetur absquolibet uerè Christiano homine, quid sentiendũ sit de synodo, quæ & institutionem domini, & exemplum Apostolicum & ecclesiæ primitiuæ ritum euertit. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11.

Abdicarunt in hac synodo tribus olim creatis Pontificibus, Benedicto XIII. Gregorio XII. & Ioanne XXIII. Pontificatum. Deposed 5. Pontifices.

Sperauerat autem hic reliquos duos cessuros, se uerò unum in cathedra confirmandi iri. At cùm cerneret se unum imprimis peti, & ab ipso constanter requiri, ut iuxta tenorem schedulæ sibi præscriptæ & exhi-

bitæ Pontificatum deponeret, satius puta-
Fugit Ioan. XXIII. uit sibi fore fuga elabi, & dignitatem inco-
lumem retinere. Irascebatur sibi ipsi uehe-
menter, quòd uenisset in Cõcilium, & pas-
sus esset sibi persuaderi se & honores suos
subijcere Concilio, qui saluus & incolumis
in urbe manere potuisset. Iuuit autem co-
natus eius Friderychus dux Austriæ, qui
eo nomine grauem fecit iacturam. Pon-
tifex tamen ex fuga retractus, tandem in
carcerem Gottlieben, nõ procul à Cõstan
tia, reclusus, & in custodia Concilij reten-
tus est. In sentẽtia depositionis, qua ipsum
deijcit cathedra, & omni dignitate Conci-
lium, non leuium accusat criminum, dam-
nando ipsum tanquam simoniacum noto-
rium (uerbis Concilij utor) bonorumq; &
iurium, nedum Romanensium, sed & alia-
rum ecclesiarum plurium dilapidatorem
notorium, malumq; spiritualium & tempo
ralium ecclesiæ administratorẽ, qui etiam
suis detestabilibus, inhonestis uita & mori-
bus ecclesiam dei & populũ Christianum
notoriè scandalizauerit ante eius assum-
ptionem ad Papatum, & post usque ad ista
tempora, &c. At hic de tantis accusatus fa-
cinori-

cinoribus, inuenit nihilominus gratiam & indulgentiam apud Martinum v. Pontificem, qui ipsum propemodum restituit in integrum. Onuphrius enim Panuinius in Epitome Pont. Roman. Tandem, ait, Ioannes XXIII. ducatorum 30000. se redimens, liber dimissus est, anno Christi 1419. Liber autem factus, recta Florentiam uenit, ubi Papa Martinus cum curia sua residebat, ad cuius pedes procumbēs, eum ut uerum Christi uicarium ueneratus est, omniaq; tam de se, quàm de domino Martino v. Papa in Concilio Constantien. facta, de nuò approbauit & ratificauit. Quamobrē eodem anno à Papa Florētiæ die Veneris 9. Calen. Iulij S.R.E. Cardinalis Episcop. Tusculanus, & sacri Cardinalium collegij Decanus, creatus est. Atque ob memoriā Romani pontificatus, quem aliquando iu ste possederat, sedes eius propè sedem Papæ paulò eminentior quàm cæterorū Cardinaliū posita est. Hæc ille. At Husius & Hieronymus, qui anteactæ uitæ, ut sanctimonia & innocentia præclarissimæ, luculenta & iusta habeant testimonia, in doctrina ucrò, si quid aberrassent, scripturis

Receptus in gratiam Ioan. 23.

ſanctis melius inſtitui petebant, ita enim ſe meliora libentius amplexuros pollicebantur, qui alioqui ab ijs recedere non poſsint ullo modo, quæ manifeſtis ſint tradita ſcripturis, in gratiam recipi nõ potuerunt, ſed crudeliter combuſti ſunt. Vnde quæ fuerit in iſtis hominib. æquitas, facillime colligit.

Eligitur Martinus V. Pont.

Deturbatis tribus Pontificibus eligitur Martinus v. Pontifex in Concilio per Cardinales, qui prius appellabatur Ottho de Colũna Romanus, nunc uerò nuncupabatur Martinus, quod electio eius incidiſſet in diem Martino, in Romana eccleſia, ſacrũ. Numerabatur tunc annus dom. 1417. Priuſquam uerò eligeretur decreuerat œcumenica ſynodus, ſeſsione 40. quod futurus Pontifex, cum ſacro Concilio, uel deputandis per ſingulas nationes, debeat reformare eccleſiam, tam in capite, quàm in membris, & Curiam Rom. ſecundum æquitatem & bonum regimen eccleſiæ, antequam Concilium ipſum diſſoluatur. Cæterùm ubi Põtifex creatus eſſet, & ſolio impoſitus, non habita eſt ulla amplius mentio aut ratio ulla reformationis promiſſæ, niſi quod ſimonia in 43. ſeſsione damnata, &

neſcio

neſcio quæ capita leuiſsime duntaxat perſtricta ſunt. Nam duobus poſtremis ſeſsionibus de loco futuri Concilij, & de diſſolutione huius Concilij conſultatum fuiſſe dicitur. Inter alia, Hoc edicto perpetuo (pronũciat Concilium) ſancimus, ut ammodo Concilia generalia celebrentur: ita quod primum à fine huius Concilij in quinquennium immediate ſequens: ſecundum uerò à fine illius immediate ſequentis Concilij in ſeptennium, & deinceps de decennio in decẽniũ perpetuò celebrẽtur, in locis quæ ſummus Pontifex per menſem ante finem cuiuslibet Concilij, approbante & conſentiente Cõcilio, uel in eius defectum ipſum Concilij deputare et aſsignare teneaſ, &c. Cæterum res ipſa & temporum ſucceſsio declarat legem hanc iacuiſſe antea & iacere etiam hodie neglectam. Aiunt alij, Imperatores & principes poſtulaſſe reformationem morum cleri corruptiſsimi, Martino autem placuiſſe remediũ transferre (tranſlationem ille ſciebat optimam eſſe declinãdi tergiuerſandiq; rationem) in aliud tempus uel Concilium proximum, ac addidiſſe rem iſtam maturitate & prudenti conſi-

Concilium ſinguło quo que decennio.

De reformatione cleri.

lio indigere. Quia ex Hieronymi sententia, unaquæque prouincia suos habeat mores & suos sensus, quos sine graui perturbatione nemo facile mutauerit.

Articuli oblati Concilio.

Certissimum uerò illud est, Petrum de Aliaco Cardin. in Concilio Constantien. iussu Sigismundi Imperat. obtulisse articulos, secũdum quos putabat corruptissimũ ecclesiæ statum fore reformandum. Primũ autem ac præcipuè Curiam Romanã censuit corrigendam, & rationes illas artificiosas corradendæ à fidelibus pecuniæ præscindendas: Episcoporum & prælatorum mores & uitam corrigendam, eosq; cogendos ad obeundum proprium ipsorum officium. Sed & superflua in ecclesia festa, ieiuniorum abusum, prolixas preces & cantus & sanctorum canonizationem esse tollendam: quin & monachorum ordines imminuendos, &c. Ioannes quoque Gerson Parisien. Cancell. in Concilio Constãtien. obtulit & ipse abusus 75. corrigendos. Cæterùm his omnibus nihil est effectum penitus. Neque mirum hoc uideri poterit homini prudenti, cùm illi ipsi præsederint in Concilio, & Cõcilij omnia gubernauerint,

quos

quos imprimis oportuerat reformatos. At qui nihil oderũt infensius à multis iam annis proceres ecclesiastici, quàm reformationem tam in capite, quàm in mẽbris (de qua tamen omnes omnium suorum Concilíorum indictiones farciunt) legitimam, & ab omnibus pijs hominibus multis iam seculis exoptatam, &c. Sic ergo discessum est ex hoc generali Concilio ab omnibus, ut quemadmodum in superioribus Concilijs omnibus uulnera ecclesiæ sanata non sunt, neque abusus manifesti cum confessis erroribus sublati, aut uita spurca & detestabilis cleri emendata, rescissaq; scandala: ita & in hoc Cõstant. Cõcilio nihil penitus quod ad legittimã reformationem attinet, seriò constitutum sit. At diligentissimè interim instruxit Martinus inquisitores, quo modo Euangelicæ doctrinę cupidos, quos hæreticos & Hussitas appellarunt uulgò, diuexare ac persequi, adeq; Romanæ sedis obedientiam reducere debeant. Extat ea de re Bulla in Actis Concilij, edita à Martino v. paulò antequam Constantia discederet, data Constantiæ 8. Calend. Martij. Inquisitio.

De grauissimis turbis, seditionibus, cædibus & bellis in Bohemia & uicinia, mox à Constantiensi Concilio exortis. CAP. IX.

COmmemorabo consequẽter, quæ turbæ, cædes, & bella funesta maximè in regno Bohemiæ & in uicinia ex hoc Papistico Constant. Concilio sint cõsecuta. Breuia autem annotabo ex historia Bohemica Aeneæ Syluij, qui postea Pontifex factus appellari se uoluit Pius II. & copiosè illa prosequitur à cap. 36. usque ad 53.

Aeneas Syluius.

Seditio Pragæ exorta.

Cùm in Bohemia nunciatum esset, supplicium esse sumptum de Hussio & Hieronymo, graues admodum turbæ sunt exortæ. Decurrebatur passim ab Hussianæ doctrinæ fautoribus in templa & monasteria nobilíss. uastabãturq; ferro & igni. Cùm uerò à magistratu prohiberẽtur, furẽtes, Calend. Iuliij petiere prætorium. Inde senatores II. elapsi sunt fuga, septem & cum his iudex urbis Pragæ, atque alij nonnulli ciues raptim intercepti, ex altissimis fenestris in forum uicinum præcipitati, lanceis autem irati populi sunt excepti. Porrò Ioannes Zischa nobilis Trosnouiensis in aula Vuenceslai regis enutritus à puero, & bellis ex-

lis exercitatus, collectis Huſsitarũ copijs, in eccleſias reliquas impetum fecit, ſimulachra confregit, & monaſterium Carthuſianorum Pragæ direptum incendit, monachos utpote inutiles populo, ſicuti aſſerebat, & ueluti ſues in hara ſaginatos alió migrare iuſſit. Pragæ item pugnatum eſt pro ponte, multisq; utrinque cadentibus, pons in poteſtatem Huſſitarũ uenit, & pars deciuior Pragæ minoris. Papiſtę in altiorem partem ſe receperunt, atque inde conuerſi acribus animis inſtaurauere certamen. Pugnatum eſt diu noctuq; continuis quinque diebus, ſæuiſsimis atque crudeliſsimis ausibus. Multi utrinque cæſi, magnificæ domus exuſtæ, Prætoriũ infimo loco ſitum, incenſum atq; deletum. Vocabatur in Bohemiam Sigiſmundus Imperator, ut has turbas componeret. Huſſitæ uerò literas dedere in totum regnum, iubẽtes ne quiſpiam Sigiſmundo præberet aditũ, qui Dalmaticæ linguæ hoſtis eſſet, nec alia cura teneretur, quàm regni perdendi, qui denicq; Ioannem atque Hieronymum in Conſtantienſi Concilio cremari non ſolùm permiſiſſet, uerùm etiam procuraſſet, dogmata

Pugnatum per quinq; dies continuos.

quoque fidei, quę ipsi sequerentur, totis co natibus impugnaret. Dum hæc aguntur Ziscka bis à Papistis inuasus Bohemis, bis uicit. Auscam mox armis oppugnauit, cepit, diripuit, incendit. Et cùm ciuitatem quam incoleret, nõ haberet, munitissimam extruxit, & Thabor nuncupauit. Inde egressus, Nicolaum, quem cum mille equitibus miserat Sigismundus, noctu & de improuiso adorsus, in fugam egit, uicit, atque equos & arma suis distribuit militib. Multis prælijs Zischa hic hostes suos uicit, atq; attriuit, quod nimis longum atque molestum esset ordine exponere. Legat qui uelit historiam Bohem. cap. 24. & 44. &c.

Oppidum Thabor à Zischa extructum.

Pontifex mouet bellum contra Bohemos.

† Cæterùm cùm Martinus Pontifex cerneret Hussitas progredi & pugnare feliciter, Cardinalem Vuintonienſem Anglum misit legatum in Germaniam, qui omnes armaret in Bohemos. Fuit ei adiumẽto Imperator. Ergo tres instituti sunt exercitus, Saxoniæ duces, ac ciuitates, quas uocant Stagnales, in primo militarunt. Secundus constabat Frãconibus, quos ductabat Brandeburgensis Marchio. Tertio præfuit Ottho Archiepiscopus Treuirensis, quem seque-

quebantur Rhenenſes Bauari, Sueui & urbes Imperiales. Ingreſſi Bohemiam ſunt tribus itineribus, at ubi ſyluã penetraſſent, uires coniunxerunt omnes, & unis in caſtris conſederũt ante Miſnam. Priuſquam enim procederent, hãc urbem amiſſam recuperare conabãtur. Sed cùm hæretici (ita enim nuncupabantur uulgò Huſsitæ Bohemi, Pontifici Romano contradicentes) collecto raptim milite, in ipſos properare nunciarentur, Panico quodam terrore correpti, nondum uiſum hoſtem fugerũt. Cardinalis Legatus, tot ducum & fortium uirorum admiratus fugam turpem, magnis precibus contendit, ut redirent in hoſtem omnibus modis debiliorem, uerùm effuſi in fugam retineri non potuerũt: nec prius fugere, quàm Bohemi perſequi deſtiterũt, relictis impedimentis, machiniſq; diripiendis hoſti omnibus. Quæ cùm audiſſet Sigiſmundus Imperator, & Martinus Pontifex, protinus conſultant de nouis conſcribendis copijs. Ad quam rem promouendam mittebatur Iulianus Cæſarinus Cardinalis S. Angeli Legatus. Conſtat uerò congregata eſſe præter peditatũ ualidiſſimum

Imperator reparat bellum contra Bohemos.

ſupra quadraginta millia equitum. Duces huius exercitus fuere principes illuſtres, qui & copias in Bohemiam adduxerunt. Vbi iterum totis caſtris trepidatum eſt, & priuſquam hoſtis ullus in conſpectu daretur, fœdiſſima fuga uniuerſus diffluxit exercitus. Fruſtrà conabatur fugientes recollígere Iulianus. Iterum ergo omnibus impedimentis potiti Bohemi, ingenti præda ſunt ditati.

Infeliciter pugnãt Papiſtæ cõtra Huſsitas.

Hæc & ſimília leguntur non modò apud Aeneam Syluium, ſed Auentinus quoque 7. Annalium libro recitat líteras ab Heinrycho Lantzhutẽſi príncipe ad Albertum à Preyſingen hac de re ſcriptas in hunc fermè modum, Quinquies Bohemiam intrauimus, quinquies copijs, impedimẽtis, tormentis, carris, machinis, armis, annona, commeatu, ſuppellectili, inſtrumentis bellicis, calonibus amiſſis, pleriſq; occiſis, multis in fuga obtritis, nondum uiſo hoſte, turpiter terga, neſcio quo fato iniquo, uertimus. Quippe Bohemi adiuti auxiliaribus Lituanorum atq; Polonorum copijs, non ſolùm patriam religionemq; ſuam fortiter tutati ſunt, ſed finitimas quoque regiones,

Boio-

Boiorum, Francorum, Turogorum, Misnensium crebris incursationibus infestas reddiderunt, cuncta cæde, flamma compleuerunt. Has literas ait scriptas esse in castris Pragæ mense Iulio, anno 1420. Ergo constat graues illas expeditiones Martini & Sigismundi, post illas esse in Bohemos factas. Protractum est hoc bellum in annos aliquot. Graue itaque fuit, cruentum, atq; luctuosum. Sed Pontifices Romani in bellis ferè enutriti, sanguine humano non faci le absterrentur.

De generali Concilio Basiliẽsi, & Anticoncilio Florẽtino. De depositione Eugenij 4. et substituto Felice 5. unde nouũ schisma est exortum: quod tãdem opera principum est consopitum. CAPVT X.

CVm bella in Bohemia & eruptiones Bohemorum in Germaniã grassaren tur, Martinus Papa, iuxta decretum Concilij Constantien. Papiæ in Italia Concilium inchoauit. Tanta uerò derepente pestis Papiam inuasit, ut Pontifex Cõcilium Senas transtulerit. Oderat autem Alphonsus rex Aragonum Pont. Martinum, ideoque Petrum de Luna, in Constantien. Concilio de

Papiense Conciliũ.

Senense Conciliũ.

positum restituere, deiecto Martino, cogitabat, patresq; in Concilio ut suos conatus iuuarēt, sollicitabat. Proinde Martin. mox curauit dissolui synodum. At ne interim uideretur conuētum refugere Christianorum, Basileam designauit futuro post septennium Concilio. Vnde & anno domini 1430. Iulianum S. Angeli diac. Cardinalē legatum mittit in Germaniam, qui & bellum Bohemicum procuret, & Concilium cogeret. Cœpit Basilienſe Concilium Decembr. 7. anno 1431. præsidente Iuliano. Extat in Actis Concilij commissio Pont. literis cōprehensa, quę et finem huius Concilij ostendit. Inter alia enim ita legitur, Cū super omnia in ipso futuro Concilio, ad reformandum statum ecclesiasticum, qui hoc indigere uidetur, abundante nequitia & refrigescente charitate hominum, suscitatis inter fideles bellis & discordijs, ac inualescente in pluribus mundi partibus hæretica prauitate, & huiusmodi hæreses extirpandas, & pacem inter catholicos principes & cæteros Christianos componendam, animum efficaciter intendamus, super qua re quantum in nobis fuit, dedimus

Basilienſe Concilio.

mus operam efficacem tibi nomine & authoritate noſtris, ipſi Concilio præſidendi, ac in illo pro tua ſapientia illa proponendi, deliberandi, ordinandi, ſtatuendi & decernendi, quæ ad laudem & honorem dei, & conuerſationem & augmentum religionis Chriſtianæ, reformationem quoq; totius cleri, & eccleſiaſtici ſtatus in moribus & uita, necnon reductionem Orientalis eccleſiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium ad gremium eccleſię militantis, ac conſeruationem eccleſiaſticæ libertatis, pacemq; noueris pertinere. Et reliqua. Idem ergo finis huic Concilio deſignatus fuit, qui alijs fuerat hactenus: ſed & eadem euentus infelicitas in hoc ipſo cernitur, qui deprehenditur in alijs. Nam nulla inſtituta eſt reformatio, ſed abuſus, errores, & diſſidia conduplicata ſunt, aucta denique ſunt mala nouo ſchiſmate. Extāt in magno Conciliorum uolumine acta huius Cōcilij per ſeſsiones 45. deſcripta. Edidit de actis huius Concilij Aeneas Syluius duos Cōmēt. lib. doctos, ex quibus integram hiſtoriā petat cui libeat: nos breuia dūtaxat conſignamus, & noſtro inſtituto adaptamus.

Eodem anno moritur Romæ Pontifex Martinus, cui mox ſurrogatur Eugenius IIII. ante Gabriel Condelmerius nuncupatus. Ei ab initio Baſilien. ſynodus non improbabatur, ac ratam omnino uoluit commiſsionem Iuliano factam. Procedit ergo Iulianus in celebrando Concilio. Vocantur in Concilium Bohemi, datur eis ſaluus conductus, audiuntur, diſputatur acriter per multos dies. Verùm extat libellus impreſſus cum Aeneæ Syluij commentarijs hoc titulo inſcriptus, Quomodo Bohemi uocati|producti|q; ſint ad Baſiliẽ. ſynodum œcumenicam, & quid illic egerint, ex uerboſiſsimis Commentarijs compendio relatum. Diſputatum eſt præterea in hac ſynodo liberius, quàm in alijs unquam ſit factũ, de authoritate poteſtate|q; Põtificis & Conciliorũ. Aeneas Syluius capita diſputationis hæc inter alia aſsignat, Veritas eſt, catholicæ fidei ſacrũ generale Cõciliũ ſupra Papã & alium quemuis poteſtatẽ habere. Generale Conciliũ legitime congregatũ, ſine ipſius cõſenſu nec diſſoluere, nec trãſferre, nec prorogare ad tempus ex authoritate ſua poteſt. Rom. Pont. id|q; ueritatis eiuſ-

Vocantur Bohemi ad Concilium Baſilienſe.

Diſputatur de poteſtate Concilio rum & Papæ.

ciusdē est. Qui pertinaciter ijs ueritatibus se opponit, hæreticus est censendus, &c.

Eugenius inter hæc Iuliano irascitur legato, & accusat ipsum intēpestiuę diligentiæ. Iulianus uerò binis ad Pont. scriptis epistolis, se excusat, simulq; illum sui admonet officij, ostendens quam impie agat, qui congregatū iam Concilium disturbare conetur. Etenim Papa Concilium à Basilea transtulerat Bononiam, Cardinalium omnium, quos secum habebat, consensu. Cæterùm Imperator Sigismundus, principes & prælati, illam Papæ audaciam sacrilegā indignissime tulerunt, ac Pontificē cū suis admonerunt grauiter, ut recta Basileam in Concilium ueniat, ni hoc faciat, acturos se contra ipsum, tanquam cōtumacem. Commotus his nonnihil Pontifex, Concilium Basilien. literis confirmat apostolicis, facta unicuique ad Concilium ueniendi potestate. Non multo post tamen tempore, pœnitentia ductus, Basilien. Cōcilium quod ante approbauerat, in frequenti consistorio Ferrariam transfert. Prætexebat Græcos, qui eum sibi locum delegissent, Alpes transire nollent: ergo Ferrariæ se uelle cū Græ-

Eugenius uult transferre Concilium Bononiam.

Concilium transfertur Ferrariam mox Florentiam.

cis agere, & ipsos in sinum matris ecclesiæ Romanæ recipere. Patres uerò Basilienses Concilij, Græcos adhortãtur, ut omisso Eugenio Basileam proficiscantur. Põtifici minantur pontificatum se ei abrogaturos, ni Basileam ueniat.

Inter hæc moritur Sigismundus Imper. & deligitur in locum ipsius Albertus princeps Austriæ. Ac morte Imperat. multum authoritatis Concilio Basiliẽ decessit, paulatiḿq; imminui cœpit. Nã Ferrariæ Anticoncilium cœpit anno domini 1438. Venit Ferrariam Rom. Pont. Eugenius: uenit eò & Imperator Cõstantinop. Ioan. Paleologus Manuelis filius, cum Patriarcha Constantinop. & multis Episcopis & uniuersa penè totius Græciæ nobilitate. At ubi de consensione Græcorũ & Latinorum tractare cœpissent in synodo, pestis Concilium disturbauit. Eugenius enim hoc Florentiam transtulit, ubi post multas collationes eò tandem uentum est, ut Græci spiritum sanctum non à patre solo, sed à patre & filio procedere faterentur, ut in azymo sine fermento consecrationem admitterẽt, purgatorium quoq; cõcederent, faterẽtur denique

Concilium Florentinũ.

denique Rom. Pont. uerum Christi uicarium Petriq; legitimum successorem, primum in orbe locum tenere, cui & Orientalis & Occidentalis ecclesia pareat meritò. Vulgauit hæc Eugenius, cum huiusmodi (ut Platina habet) inscriptione, Datum in sacrosancta œcumenica sessione Concilij Florẽtini, quod in cathedrali ecclesia habitum est anno domini 1439. Nouemb. 22. die. Sciendum hic tamen in hac synodo Græcis dogma de transubstantiatione propositum fuisse: sed ipsos noluisse recipere, nec passos esse ascribi in Bulla illa consensus. Interim uerò consensus non fuit propter dogma illud nõ receptum impeditus: ut mirũ sit hodie tantopere concertari pro transsubstantiatione aut pro insubstãtiatione, aut pro subsubstantiatione, aut consubstantiatione conseruanda, quasi in ipsa sit prora & puppis nostræ salutis, &c. Hue pertinet & hoc commemorandum. Quod mortuo patriarcha Constãtinopolitano Iosepho Eugenius Florẽtię uoluit creari nouum patriarchã, qui uidelicet Romanæ sedis authoritate approbaretur & cõfirmaretur. At noluerunt Græci hoc facere, adfir-

Hoc quæsierũt scilicet Põt. Rom. ab annis 600. & amplius.

mantes non licere sibi nouum eligere Patriarchã, nisi essent in ipsa congregati Constatinopolitana ecclesia. Quod responsum indignissimè tulit Eugenius, qui modis omnibus aspirabat ad monarchiam suã etiam in Græcia plenè statuendam. Quod tamen nulli unquam Pontifices efficere potuerunt. Nam reuersus Constantinopolitanus Imperator, non diu uixit: ac multi Grę corum consensum illum cum Romana ecclesia nec approbarunt, nec faustum credi derunt futurum. Et certè commemorãt historiæ paulò post, nempè 1453. Calend. 4. Iunij, Mahumetem Turcarum Imperatorem cœpisse Constantinopolim, & uetustissimum Græciæ Imperium unà cum Imperatore Constantino VII. Paleologi fratre obtriuisse atq; extinxisse.

Eugenius deponitur Basileæ in Concilio.

Basileæ uerò in Concilio graues contra Eugenium accusationes instituuntur, ac deturbatur tandem è sede per Concilium, damnaturq; tanquam contumax, & pręceptis Ecclesiæ uniuersalis inobediens, in aperta rebellione persistens, pacis & unitatis Ecclesiæ dei perturbator notorius, uniuersalis ecclesiæ scandalizator, notorius simonia-

moniacus, periurus, incorrigibilis, ſciſmaticus, à fide deuius, pertinax hæreticus, dilapidator iurium & bonorum eccleſiæ, inutilis & damnoſus ad adminiſtrationẽ Romani Pontificatus. Inhibet præterea ſynodus omnibus fidelibus ſub pœnis fautoriæ ſchiſmatis & hęreſis obedire aut fauere Põtifici notorio ſchiſmatico, periuro & hæretico. Totidẽ enim uerba leguntur in Seſs. 34. in literis datis 7. Calend. Iulij, anno domini 1439. Pronunciat denique ſynodus omnes eius conſtitutiones, & alia eius inſtituta prorſus haberi debere irrita.

Alius Papa Felix V. creatur in Concilio.

Poſt hanc condemnationem ſynodus alium creauit Pontificem, opera eorũ, qui conclaue ingreſſi, Amedeum ducem Sabaudiæ, & Felicem v. nuncuparunt. Coronationem huius Pontificis doctè deſcribit Aeneas Syluius epiſtola D. Ioan. de Segouia inſcripta. Atque ita eccleſia Rom. rurſus facta eſt biceps, ut olim in Piſano Concilio triceps. Eugenius uerò ut partes ſuas augẽdo Baſilienſe Conciliũ in cõtemptum adduceret, eodem tempore XVIII. creat Cardinales: poſtea etiam ad Lateranũ proficiſcens, Concilium generale eò loci ſe ha-

biturum omnibus denũciat, missis ad principes literis & nunciis, quibus ea de re certiores fierent. Ac hac ratione infirmare, & prorsus tollere uoluit Basilienſe Cõcilium: quod etiam aliis artibus & ui aperta euertere ſtuduit. Nam Platina ſub finem uitæ Eugenij, Bella, inquit, ita amauit Eugenius, quod mirum in Pontifice uideri debet, ut ad ea quę ſcripſimus ab eo in Italia geſta, & Delphinum Caroli regis filium compoſita prius inter regem & ducem Burgũdiæ pace, cum magno equitatu in Baſilienſes concitauerit, ad diſſipandum conuẽtum illum. Addit eundem Eugenium authorem fuiſſe eius belli infauſtiſſimi, quo ab Amurathe uictus & occiſus eſt rex Ladislaus, & uno prælio inter Hadrianopolim & Danubiũ ad triginta millia fidelium fuſa ſunt atque cæſa. Idem ille author in eiuſdem Pontificis uita, ubi commemoraſſet Felicem Pontificem creatum, Hinc magnæ, inquit, ſeditiones in eccleſia dei exortę ſunt, cùm Chriſtiana reſpublica trifariàm diuiſa, aut Felicem, aut Eugenium ſequeretur, eſſentq; qui Neutrales uocarentur, quòd neutri obtemperarent, &c. Cernis iterum infelices

Eugenius IIII. contra Baſilienſe Concilium

De hac re multa ſcribit Anton. Bonfinius in hiſtoria Hũgarica.

lices Papisticarum synodorum fructus.

Non potuit hoc schisma componi uiuo adhuc Eugenio. Mortuo surrogatus est Nicolaus v. Et Nauclerus Generat. 49. Imperator, inquit, Principesq; Germaniæ in publicis Comitijs declarauerunt se pro Nicolao, mãdauitq; Imper. omnibus per Germaniam cõstitutis, Nicolaum pro uero & indubitato Romano Põtifice uenerari debere, & Basilienſe ut Concilium dimitterent, nec ultra festum S. Martini retinerẽt. Quod publicatum est anno domini 1447. circa festum Michaelis. Hæc ille. Proinde Imperator & principes sua interposita authoritate, plus quàm decisiuis uocibus definierunt, quid homines Christiani faciant, dum impliciti aduersis Basilienſis & Florentini Concil. sententijs, quid sequerẽtur, ignorarent. Addit idem Nauclerus, Amedeus post duos annos uel circiter à Friderycho Imperatore ac alijs nonnullis exhortatus, per procuratores suos corã ipso Nicolao renũciauit omni iuri, quod habere uidebatur in Papatu, certis adhibitis conuentionib. ut scilicet Cardinalis remaneret, ac Legatus in Germania & regione sua: Car-

Friderychus Imp. schisma tollit.

Abdicat se Pontifex Felix.

dinales etiã aliqui ex ſuis, in dignitatibus ſuis remanerent in ſedibus: & hi erant uiri doctiſsimi. Quibus omnibus Nicolaus cũ Cardinalibus aquieuit pro bono pacis et amotione ſchiſmatis Baſilienſis. Facta ſunt hæc anno domini 1449. quo anno uulgauit Nicolaus v. bullã, qua approbauit Concilium Baſilienſe. Nec tamen ſic approbato Concilio Baſilienſi Pontifices uolunt eius decreto parere, eius inquã cuius ſuprà meminimus, Papã ſubeſſe debere Concilio. Talia enim fuerunt tempora illa, ut pro arbitrio & commodo Pontifices quidam eandem rem approbarent, quam alij improbarunt. Feliciſsimi ergo ſunt qui non pendent à Pontificibus, neq; innituntur Concilijs, ſed uerbo dei, quod ſibi ſemper conſtat pulcherrime, & manet in æternum.

Lateranen. Concilium ſub Iulio & Leone.

Sub Iulio II. & Leone X. Romæ in Laterano celebratum eſt Cõcilium, quod cœpit anno domini 1512. & 12. ſeſsionibus abſolutum eſt an. domini 1517. ſed cũ obſcurum admodum fuerit, nihil eius hic commemorabo. Hoc duntaxat annotabo, Baptiſtam Mantuanum uirum doctiſſimum illo ipſo tempore in 4. Faſtorum ſuorum lib. à

lib. à Leone x. tria postulauisse, ut bellum Italicum componat, ut corruptiss. curiam Roman. reformet, ut oppressam & rapinis expositam fidem asserat. Inter alia uerò ita canit:

Sancte pater succurre Leo, respublica Christi
Labitur, ægrotatq; fides, iam proxima morti.

Etenim huiusmodi fuerũt illa tempora, ut oportuerit in illo Concilio sess. 8. huiusmodi promulgare decretum, Cum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, aut unica in cunctis hominib. sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, &c. Sessione 11. prohibet hoc Concilium omnibus concionatoribus ne ulli præsumant prædicare quicquam de Antichristi aduentu, &c. Cumq; Tridentinum Concilium in recenti adhuc sit memoria hominum, omnesq; norint, quæ ex eo deriuata sint in Germaniam, præterea illustris extet Sleidani historia, ex qua ignorãtes omnia discere possint, finem hic faciam commemorandi ex historijs, qualia fuerint postre-

Concilium Tridentum.

mi seculi Papistica Concilia, & quanta mala orbi Christiano dederint. Arbitror enim me hactenus perspicuè & copiosè euidenterq; satis demonstrasse, quod ab initio huius libri me ostensurum promisi, Pontifices Roman. seculis aliquot in ultima mundi senecta sua illa celebrasse Concilia, maxima cum totius orbis conturbatione, & irreparabili cum detrimento ecclesiæ dei, cum illa ferè omnia turbæ, cædes, & grauissima bella sint consequuta.

Causſæ aliquot commemorantur, cur tot Papisticis Concilijs nulla potuerit impetrari reformatio, aut cur tam infeliciter, nullo unquam cum fructu, maximo autem cum damno ecclesiæ Concilia sint celebrata.

CAPVT XI.

Recesserũt ab exemplo & doctrina apostolorum.

ADijciam narrationi huic historicæ hactenus expositę, coronidis uice, causas aliquot, & quidem non postremas, propter quas celebratio illa Conciliorum Pontificiorum ecclesiæ dei cesserit tam infelici ter, neq; tot Concilijs ulla unquam potuerit impetrari reformatio. Ac principiò qui dem recesserunt Pontifices cum suis complicibus à sancto apostolorũ Christi exemplo,

plo, qui longè aliter ſuum illud Concilium Hieroſolymis habitum inſtituerunt, receſſerũt item ab exemplo beatorum patrum, quorum bona pars in ueteri illa eccleſia (fidelem in ſynodis ſuam operam piſs principibus conferentibus) ad feliciorem ſynodorum ſuarum finem pertigerunt. Præterea non poſſunt non in tenebris palpare, & impingere grauiter, qui non ambulant in lege domini, & ad hãc regulam omnia ſua religioſè inſtituunt. Clamat Dauid, Lucerna pedibus meis uerbũ tuum, & lux ſemitis meis. Clamat etiam Ieremias, Ecce uerbum domini reprobarunt, quæ ergo illis ſapientia poterit eſſe reliqua? Clamat denique Paulus Apoſtolus, Videte ne quis ſit, qui uos deprædetur per philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum, & non ſecundũ Chriſtum. Pſal. 119. Ierem. 8. Coloſ. 2.

Deinde negari non poteſt, nimium Pontifices ipſos rerum dominos terrenis addictos, cœleſtium q; oblitos, monarchiam & oligarchiam potius in eccleſia quæſiuiſſe, quàm eccleſiæ augmentum, pacem & incolumitatem. Imperitare uoluerunt, & regibus leges dictare: miniſtrare uerò eccleſiæ, Dominandi libido in Pontificib.

subesse principibus, & rectè secare uerbũ dei noluerunt. At dixerat dominus, Reges gentium dominantur eis, uos autẽ non sic. Et qui maior est in uobis, fiat sicut iunior. Elegi uos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Isti uerò ubi uiderunt sedem illam eò prouectam, ut amplius non esset cathedra docentiũ, sed thronus dominantium, & muneribus uel simonia, & ui aperta in ipsam ascenderũt ac perruperunt plures. Platina in uita Syluestri III. qui sedit circa annum domini 1045. Eò inquit, tum Pontificatus deuenerat, ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate & doctrina, ualeret, is tantummodò dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis, obtineret. Quem morem utinam aliquando non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parum est: peiora (ni deus caueat) uisuri aliquando sumus. Hæc ille scripsit, qui tamen Pontifices suos libẽter ornat atque tuetur. Quid quòd ipsi Pontifices in suis illis legibus oligarchicis sedem suã extulerunt supra thronos principum in orbe maximorum, immẽsamq; potestatem, uel, ut ipsi dicunt, potestatis plenitudinem sibi uendi-

Luc. 22. Matth. 18. 20. Ioan. 15.

uendicarunt ipſi, & attribui ſibi ab alijs paſſi ſunt, eximentes ſe iudicio omnium hominum, & ſemetipſos omnium iudices conſtituentes.

Quam ſibi poteſtatem uendicarint, & alios ſibi tribuere paſsi ſint Pontifices.

Si quis uerò ea de re dubitat, audiat ipſa Decretorum, Decretaliũ, Gloſſatorumq; uerba. Bonifacius VIII. iura cœleſtis imperij, inquit, & terreni Petro cõmiſſa ſunt à deo. Ipſe enim utrunq; gladium habuit. Idem ſubeſſe Romano Pontifici omnem creaturam declarat, dicit & definit omnino eſſe de neceſſitate ſalutis. De Maior. & obed. Solitæ, & Vnam ſanctam. Clemens quoque V. in Clementinis lib. 2. tit. 11. Paſtoralis, tribuit ſibi manifeſtè plenitudinem poteſtatis, ac ſuperioritatem (ut ipſe ait) in imperium. utpote qui Imperatori, Imperio uacãte, ſuccedat. Innocẽtius uerò, 9. quęſt. 3. Neque ab Auguſto, inquit, neq; ab omni clero, neq; à regib. neq; à populo iudex iudicabitur. In quem locũ Gloſſator, Conciliũ, inquit, non poteſt Papam iudicare, ut Extra. de Elect. ſignificaſti, unde ſi totus mundus ſententiaret in aliquo negotio contra Papam, uidetur quòd ſententiæ Papæ ſtandum ſit. Iura enim omnia (de Conſtit. licet)

ſcrinio pectoris ſui habere uidetur. Quod ergo Papa uel approbat (Diſt. 19. Si Rom. in Gloſſa) uel reprobat, & nos approbare uel reprobare debemus. Quiſquis ergo nõ obedit ſtatutis Romanæ eccleſiæ, hæreticus eſt cenſendus. Et in eadem Diſt. 19. Agatho, Sic omnes ſanctiones Apoſtolicæ ſedis, inquit, ſunt accipiendæ, tanquam ipſius diuina uoce Petri firmatæ. Et Stephanus ibidem, Ab omnibus quicquid Rom. ſtatuit eccleſia, quicquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obſeruandũ eſt. Et Gloſſator in Diſtinct. 40. ubi etiã dicitur, Cunctos ipſe (Papa) iudicaturus, à nemine eſt iudicandus. Sacrilegij inſtar eſſet, inquit, diſputare de facto Papæ, qui tametſi non ſit bonus, tamen ſemper præſumitur eſſe bonus. Et in cap. Quanto de Transla. epiſcop. Papa dicitur habere, ait, cœleſte arbitrium, ideò in his quæ ipſe uult, eſt ei pro ratione uoluntas. Nec eſt, qui ei dicat, Cur ita facis? Ipſe enim poteſt ſupra ius dispẽſare, & de iniuſtitia facere iuſtitiã, corrigendo iura & mutando. Nam plenitudinem obtinet poteſtatis. Hæc & his ſimilia multa leguntur in Pontificum Rom. legibus

bus passim. Ergo cum tanta sit attributa potestas Pontificibus Roman. & inuenti sint perpetuò, qui hæc defenderint, & magna audacia palàm in ecclesia postremis his tẽporibus docuerint, quid mirum si principes indictis Conciliis, nihil pro reformatione ecclesiæ, tam in capite, quàm in membris feliciter absoluere potuerunt? Quid mirum si pro arbitrio Papæ & complicum eius, omnia tãdem definita sunt atque conclusa, & Concilia, quæ istis displicuerunt, dissoluta? Hoc magis mirandum est, cur fideles in adeundis Conciliis tot tantasq; & quidem inutiles fecerint faciãtq; impensas. Nam si ea est Pontificis potestas, quæ dicitur, & quam ille iactat, cur non scribit in chartam aliquam, quid credendum sit fidelibus, quid faciendum aut omittendum, & hanc authoritate sua, ex plenitudine potestatis, omnibus adorandam sequendámque imponit? Quid necesse esset obsecro coire synodos, cùm istorum in ore uersetur hoc uulgare ipsis, Vbi Papa, ibi uniuersalis synodus?

Ad hæc omnia accedit, quod Episcopi omnesq; ecclesiæ prælati, iam seculis ali-

quot non amplius tales fuerunt, neque hodie adhuc sunt plerique tales, quales requirunt canones apostolici, & quales fuerunt in primitiua ecclesia: uiri utique eruditione & uitæ sanctimonia illustres, in scriptu-
Episcopi et prælati ecclesiastici degenerarunt à suis maioribus.
ris exercitatissimi, in officio suo uigilantes & laborioſi, frugales, humiles siue moderati, qui imperijs et rebus secularibus se non immiscuerunt, sed totos sese sacro impenderunt ministerio, & ab ijs abstinuerunt, quæ ab isto ipsos abstraxerunt. Oderunt hi et refugerũt honores huius seculi, luxum, pompam, amplas opes ac auaritiam. Fidelibus Imperatoribus sanctoq; magistratui libenter in rebus æquis & iustis obtempera uerunt, nullas de imperijs cum illis rixas mouerunt, si quid peccare uiderentur, libere monuerunt, & uerbo ueritatis reduxerunt in uiam salutis. Non abhorrebant uel à synodis, uel ab ulla disciplina. Quales uerò fuerint prælati ecclesiastici plerique à quingentis annis & multò amplius, quales sint hodie adhuc res ipsa nimis apertè loquitur: ac malo ipse alij hoc exponãt quã ego hic referã, ne affectib. uidear indulsisse.

Extat Sermo Bernardi Clareuallen. ab batis

batis ad Clerum in Remensi habitus Concilio, in quo inter alia, Vbi proh dolor reperiemus, inquit, Episcopos, qui post adeptam dignitatē in humilitate se contineant? Nempe superbia eis occasio est, ut ad tantam dignitatem aspirent, ut in ouile Christi impudenter irrumpant. Quis obsecro laicorum auidius clericis quærit temporalia, & ineptius utitur acquisitis? Cum tantum fastum uideant laici in suppellectili clericorum, non ne potius inuitantur ad mundū diligendum, quàm negligendum? Medice cura teipsum. Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu prius. Sed sicut populus, sic & sacerdos: sicut laicus, sic & clericus. Vterque cupit, uterq; diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore: sed clerici sine labore uolunt possidere totum mundum. Communicare uolunt cupiditati & superfluitati hominum, sed non labori. Peccare uolunt, sed non flagellari cum hominibus: unde metuendum est, ne flagellādi sint cum dæmonibus. De patrimonio crucis Christi nō paratis codices in ecclesijs, sed pascitis pellices in thalamis uestris: impinguatis car-

Bernardus de prælatis & clericis sui sæculi.

nes, adornatis equos phalerãtes pectora & capita deaurando. En tempora iſta plane fœda à negotio perambulante in tenebris. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti uarietate, tanquã ſponſa, procedens de thalamo ſuo. Vnde uerò hanc illis exuberare æſtimes rerum affluentiam, ueſtium ſplẽdorem, menſarum luxuriam, congeriem uaſorum aureorum & argẽteorum, niſi de bonis ſpõſi? Interim hæc pauper, nuda, & inops relinquitur. Quem dabis mihi de numero Epiſcoporũ qui nõ plus inuigilet ſubditorũ marſupijs euacuandis, quàm uitijs extirpandis? Vbi eſt qui prædicet annum placabilem domino? Propterea non cuſtodiunt hoc tempore ſponſam, ſed perdunt: non paſcunt gregem domini, ſed mactant & deuorant. Huius generis multa leguntur in ſermone illo, ſicuti & in libris de Conſid. ad Eugenium. Sub finem prope libri 3. Quid ſibi uult, ait, quod clerici aliud eſſe, aliud uideri uolunt? nempe habitu milites, quæſtu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque ut milites pugnant, neq; ut clerici euangelizant. Cuius ordinis ſunt? Cum utriuſque eſſe cupiunt,

unt, utrunque deserunt, utrunque confundunt. Et reliqua.

Marsilius Patauinus in Defensorio pacis Dict. 2. cap. 24. Quis, inquit, non mirabitur aut stupebit diuinarũ scripturarũ ignaros iuniores, morũ grauitate cõueniente carẽtes, inexpertes, indisciplinatos & dõque notorie criminosos, ad maiores ecclesiæ thronos esse præfectos simoniaca prauitate uel prece potentũ, non dico quanquandoq; terrore, obsequio, uel sanguinis affinitate, repulsis aut neglectis scripturę sacræ doctoribus uiris honestate probatis? Et (quod referre pudet, quamuis non pigeat: quia uerum) Episcopi nostri neque prædicare populo uerbum dei, neque hæreticorum, si qui apparuerint, nouerunt erroneis aduersari doctrinis: cum tamẽ doctor gẽtium dicat, Episcopum oportere esse doctorem, qui possit exhortari doctrina sana, & contradicentes conuincere. De reliquis uerò prælatis inferioribus, abbatibus, Prioribus et reliquis ecclesiarum Curatis, Deũ testem inuoco, numerosam ipsorum multitudinem uitæ atque doctrinæ sufficientis exortem, sic etiam exortem esse ut grãma-

Marsilius Patauinus de sui seculi clericis.

ticè neſciant ipſorum quãplures cõgruum proferre ſermonẽ. Et reliqua. Floruit Marſilius hic circa annum domini 1320. Sicuti Bernardus circa annum domini 1120.

Ioan. Franciſcus Picus Mirandulanus.

Ioannes Franciſcus Picus Mirandulæ Comes in Oratione ad Leonem X. & ad Lateranenſe Concilium, cuius ſuprà mentio facta eſt, Poſtquam apud pleroſque, inquit, religionis primores, ad quorũ exemplũ plebs ignara cõponi atq; formari debuiſſet, aut nullus, aut certè perexiguus dei cultus exiſtit, nulla bene uiuendi ratio atq; inſtitutio, nullus pudor, nulla modeſtia. Iuſtitia uerò uel in odium, uel in gratiã declinauit, pietaſq; in ſuperſtitionẽ penè procubuit: uirtus autem uitio datur, & uirtutum loco uitia honorari ſolent. Cæterùm ædes & templa ſacra lenonibus & catamitis eſſe commiſſa, lupiſq; nefarijs optimi paſtoris ouilia demandata cernimus, ut ſcortorum cateruas, & coempta & diuendita ſacrificia ſileam. Et reliqua. Sub finem hortatur Leonem, ut diſciplinam inſtituat aliquanto ſeueriorẽ: nec modò in ueſtibus & ſumptibus modũ, ſed & in ceremonijs conſtituat, ut preces in iuſtum redigat ordinem, apocryphas

cryphas fabulas ſeiungat à ueris hiſtorijs, imprimis autem curet, ut clerus incumbat ſacris ſtudijs, & diligenter cognoſcat codicem utriuſque Teſtamenti, exemplaria emendata & uetera conferẽdo, & officio ſibi impoſito inuigilando, &c.

Porrò Adrianus Pontifex eius nominis VI. miſſo ad Comitia Nerobergenſia D. Franciſco Cheregato, inter alia ei in mandatis dedit exponẽdi principibus & Legatis, ſe fateri ingenuè corruptiſſimũ eſſe ſtatum cleri uniuerſi. Verba cõmiſſionis hæc ſunt, Dices nos ingenuè fateri, quòd deus hanc perſecutionem (à Lutheranis illatã) eccleſiæ ſuæ inferre permittit propter peccata hominum, ſacerdotum maximè & eccleſiæ prælatorum. Clamant ſcripturæ peccata populi deriuari à peccatis ſacerdotũ, propterea q; ut ait Chryſoſtomus, ſaluator noſter curaturus infirmam ciuitatem Hieruſalem, ingreſſus eſt prius templũ, ut peccata ſacerdotum primò caſtigaret, inſtar boni medici, qui morbum à radice curat. Scimus in hac ſancta ſede aliquot iam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mãdatis, & omnia de-

Adriani VI confeſsio de ſtatu cleri.

nique in peruersum mutata, nec mirum si ægritudo à capite in mẽbra, à summis pontificibus in alios inferiores prælatos descenderit. Omnes nos prælati uidelicet ecclesiastici declinauimus unusquisque in uias suas: nec fuit iamdiu, qui faceret bonum, non fuit usque ad unum. Leguntur hæc ad uerbum in Instructione illa põtificia. Proinde cùm tales fuerint à seculis aliquot, & sint etiamnum tales pontifices & prelati ecclesiastici, qui tamẽ soli preſederũt in Conciliis, mirum non est, si nulla potuit impetrari reformatio, si denique nullo cum fructu, sed maxima potius cum perturbatione detrimentoq; Reipublicæ Christianæ sua illa celebrarint Concilia.

Aliæ adferuntur causæ ad idem pertinentes argumentum, ubi agitur de ritu Papistico celebrandi Concilia. Quibus'nam iuramentis prælati obstringuntur Papæ, et quos uocent isti hæreticos. CAP. XII.

Alienus ritus ab Apostolico celebrãdi Concilia.

PRæterea inuenerunt Pontifices cũ suis complicibus postremis illis seculis longè alios ritus, longè alias leges celebrandi Concilia, quàm cogniti aut in usu fuerint uel Apostolis domini, uel syncerioribus ueteris

teris ecclesiæ ministris. Pro confesso apud omnes habetur, & uelut irrefragabile defenditur, Concilia non posse coire, nisi uocentur reganturq; a Romanis Pōtificibus. Deinde legitur in libro Rituum ecclesiasticorum Venetijs impresso per Antonium & Syluanum Capellas, quibus Leo x. concessit priuilegium, &c. lib. 1. Sect. 14. cap. 3. in hunc modum, In Conciliis autem illis uenerādis ac sacrosanctis, quibus fides nostra & recta uiuendi norma purgata atque firmata est, non legimus interuenisse statuendi causa, nisi episcopos & abbates: & hi tantum decretis se subscribebant. Episcopos appellamus etiam episcoporum principes. Quoniam hæc est suprema in ecclesia dei potestas. Inferioris autem gradus ecclesiasticos uiros, & principes seculares consulendi & instruendi gratia, non autem decernendi intererant: qui, ut periti aiunt, consultiuam uocem habent, non definitiuam. Aderunt igitur in Concilijs ad statuendum, Romanus Pontifex, tanquam rector & moderator totius ecclesiæ, pastor gregis dominici, & omnium episcoporum episcopus, sacer Cardinalium senatus, pa-

Hęc omnia ignorarunt Apostolica tempora.

triarchæ, primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi abbates, quibus nõ immeritò & ordinũ religioſorũ generales magiſtri additi ſunt, denique omnes prælati, qui ſecundum formam iuramenti, quod præſtant, cum ad dignitates promouentur, ad ſynodum uenire tenentur. Alij autem, ut diximus, diſſerendi, inſtruendi, conſultandiue gratia poterunt intereſſe, non tamen in ſeſsionibus publicis, induti ſacris ueſtibus ſedebunt, neque ſententiam dicent, &c.

Genera cœtuum. Hęc alij alio et forte perſpicaciori modo explicant, et quatuor conuentuum genera in ſynodo patrum generali numerant. Primum conuentus genus maxime celebre et

Seſsio. ſacroſanctum nuncupant Seſsionem. In hac, inquiũt, publicãtur canones & anathemata, deinde proponuntur theologis articuli examinandi, dum tempus proximæ Seſsionis aduenìat, quod & in hoc indicitur. Audiuntur præterea in eodem regum & principum legati. Secũdum genus con-

Collatio. uentuum uocant Collationem, cum uidelicet ſingulis diebus corã legato, Epiſcopis, & principum legatis de propoſitis articuculis dicuntur ſentẽtiæ. Quas quidem pronunciant

nunciant delecti ad hoc theologi, non tamen omnes. Tertium genus illis est, et dicitur Synodus, nimirū mysticus & arcanus conuentus, quo remotis exclusisq; laicis, soli delibuti oleo Episcopi cum legato decernunt, de canonibus & anathematismis proxima sessione uulgandis. Ac huic cœtui arbitrantur omnino adesse spiritū sanctum, maxime quod chrismate sint isti delibuti. Quartum genus conuentus dicitur Congregatio, qua propter ea conuenitur à partibus negotia, quæ indigna uidētur sessione publica, ideoq; in hoc decernenda cœtu. Quàm uerò hæc omnia nihil congruant cum ueteri ritu & apostolico exemplo Conciliorum, exposito libro primo, nō est quod multis ostendam, cum ex collatione partium nullo negotio perspicuum sit unicuique. Sanè per modum hunc oligarchicum celebrandi Concilia, in his quæcunque uoluerunt nullo negotio statuere potuerunt, frustra pauculis aliquot pijs reclamantibus.

Synodus.

Congregatio.

Et quando inter alia dictum est in his de iuramentis, qualia illa sint breuibus exponam, ut uel hinc eluceſcat, cur infelices &

De iuramentis Papæ et Episcoporum.

infrugiferas ecclesiæ oportuerit esse postremi seculi synodos. Nec prætermibo hic formam iuramenti, qua se ipse Pontifex, dum Pontificatum init, obstringit. Describitur illa in Constantien. Concilij Sess. 39. Inter alia promittit se firmiter credere & tenere fidem catholicam, secundum traditiones apostolorum, generalium Conciliorum, & aliorum sanctorum patrum, maxime autē sanctorum octo Conciliorū uniuersalium, uidelicet Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonen. V. & VI. Constantinopolitani, septimi item Niceni, VIII. quoque Constantinopolitani, necnon Lateranen. Lugdunen. & Viennen. Et illam fidem usq; ad unum apicem immutilatam seruare & usque ad animam & sanguinem defensare & prædicare: ritum quoque pariter & sacramentorū catholicæ ecclesiæ traditum, canonicè omnino prosequi & obseruare, &c. Cæterùm qui ita iurat, iuramē toq; mordicus inhærer, quam obsecro reformationem admittet legitimam? De primorum conciliorum fide nulla est controuersia, de postremorum uerò plurima est.

In Decretalibus tit. 24. de Iureiurando recitatur

recitatur forma iuramenti Episcoporũ huiusmodi. Ego N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro sanctæq; apostolicæ Roman. ecclesię, dominoq; meo Papę, eiusq; successoribus canonicè intrantibus. Non ero neque in consilio neque in facto, ut uitam perdat aut membrum, uel capiatur mala captione. Consiliũ quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nunciũ manifestabit, ad eius damnũ nulli pandam. Papatum Romanę ecclesiæ, & regulas sanctorum patrum, adiutor ero ad defendendum & retinendum (saluo ordine meo) contra omnes homines. In nouitia uerò iuramenti forma dicuntur iurare, se uelle Papæ reuelare quæcunque audierint contra ipsum & sedem instituí, atq; etiam impedire. Aiũt & hæc illos addere, Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, promissiones et mandata apostolica totis uiribus obseruabo, & faciam ab alijs obseruari. Hæreticos Schismaticos & rebelles Domino nostro uel successoribus prædictis pro posse persequar & impugnabo, &c.

Congruunt cum hac formula per om-

nia quę iurant doctores. Promittunt enim se defendere uelle ac retinere & Papatum Romanum & regalia S. Petri contra omnem hominem. Addũt, Authoritatem, priuilegia, & iura Romanæ ecclesiæ, & domini nostri Papæ, quantum in nobis est, adaugebimus, & promouebimus, &c. Videt iterum perspicuè quilibet, coniurationem illam non minimam fuisse causam, cur tot Concilijs nulla potuerit impetrari necessaria ecclesiæ reformatio, & cur tam infeliciter omnia illa Põtificia Concilia finierint. Cùm enim non alios in Concilium euocet Pontifex, quàm eos, quibus iure, ut ait, aut priuilegio in Concilio generali residendi, & sententias in eo dicendi permissa potestas est: cæteri uerò ordines omnes, ut auditores & spectatores, & tamen ne sic quidem in omnibus admittantur: illi quoque uocentur & obstringantur ui iurisiurandi præstiti Papæ & sedi Romanæ, quid obsecro possunt iudicare pij & prudentes omnes de Papistico Concilio, quàm cœtum esse coniuratorum, qui se grauissimis obstrinxerint sacramentis, quòd reformationem omnino nolint, Papam uerò & Papatum

Coniuratio

tum incolumem & defensum contra omnes homines modis omnibus uelint. Etenim Papa & Papatus est contra quem omnes conclamant, & reformatione indigere affirmant.

Quos declarauerint hæreticos esse.

Porrò ne quis ignoret, quos isti uocent hæreticos, quos se persecuturos promittũt, audiatur Canon, Ad abolendam ex Decretalibus Gregorij IX. qui extat libro 5. De hæret. Vniuersos, qui de Sacramento corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, uel de baptismate, seu de peccatorũ confessione, de matrimonio uel reliquis ecclesiasticis sacramẽtis aliter sentire aut docere nõmetuunt, quàm sacrosancta Rom. eccle sia prædicat & obseruat: & generaliter quoscunque eadem Romana ecclesia, uel singuli episcopi per diocœses suas cum consilio clericorum, uel clerici ipsi, sede uacante, cum consilio, si oportuerit, uicinorum episcoporum hæreticos iudicauerint, uinculo perpetui anathematis innodamus. Subñciuntur his à Lucio III. qui huius legis author est, & sequentia. Statuimus insuper, ut Comites, Barones, Rectores, & Cõsules ciuitatum & aliorum locorum iuxta

commonitionem Episcoporum præstito corporaliter iuramento promittant, quod fideliter et efficaciter, cùm ab eis fuerint requisiti, ecclesiam contra hæreticos & eorum complices adiuuabunt bona fide iuxta officium & posse suum. Si uerò id obseruare noluerint, honore quem obtinent spolientur, & ad alios nullatenus assumantur, eis nihilominus excommunicatione ligandis, &c. Ciuitas autem, quę his institutis duxerit resistendum, uel contra episcopi commonitionem punire resistentes neglexerit, aliarum careat commercio ciuitatum, non obstantibus libertatis suæ priuilegijs, &c. Ista uerò postquam statuerunt, obtinuerũtq; Pontifices (legem ipsam Lucius promulgauit circa annum domini 1184) nullo amplius negocio omnes eos, qui uel leuiter dissenserunt à Romana ecclesia & eius ritibus, aut seriò postularunt reformationem ecclesiæ iustam, tollere è medio potuerunt, mandando seculari potestati, ut istos tanquam hæreticos & ecclesiæ conturbatores ferro, igniq; excinderet. Ita uerò indepto illo regno suo & plenitudine potestatis securè potuerunt frui, & omnes sibi

contra-

contradicentes opprimere. An uerò iustè hæc patrauerint, uident omnes per totum mundum uiri iuris & æquitatis, pietatisq; cultores religiosi.

His omnib. accedit, quod docent isti, huiusmodi hæreticis fidem datam seruandam non esse. Hæreticis nulla seruanda fides.

Verba istorum si quis requirat, inueniet in Constantiensi Concilio Sess. 19. ubi inter alia ita definiunt. Licet iudici competenti ecclesiastico (saluo conductu Imperatorum, Regum, aliorumq; principum non obstante) de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & contra eos debitè procedere, eosdemq; punire, quantum iustitia suadebit, si suos pertinaciter recusauerint reuocare errores, etiamsi de saluo conductu confisi ad locum uenerint iudicij, aliàs non uenturi. Et reliqua. At quis tam cæcus est, qui non uideat, quàm non dissimulanda & grauia sint illa, contraq; omnem æquitatem pugnantia præiudicia, ac causæ non leues, ob quas postremi seculi Concilia nullo cum fructu & ingenti cum damno sint celebrata?

Iustissimas ob causas pios in ecclesia homines, aliquot iam seculis recusasse Papistica Concilia, ac postulasse & postulare adhuc sibi dari Christianum, liberum, & Catholicum Concilium. CAPVT XIII.

Cur pij seculis aliquot abhorruerint à Papisticis Concilijs.

HAec omnia cum ad eum modum, quē exposuimus, certò habeant, uniuersoq; mundo sint cognitissima, iure optimo multi principes pij, multi doctores sancti ecclesiarumq; ministri fidelissimi, cum suis ecclesijs, à deo ipsis commissis, iam à seculis aliquot recusarunt reprobaruntq; Concilia Paparum uniuersalia, neque his se, neque ecclesias suæ fidei creditas, subijcere unquam uoluerunt. Terruerunt enim exempla à seculis iam aliquot, in tot celebratis edita Concilijs: quibus omnibus nihil aliud uiderunt factum, quàm puram ueritatem obscuratam & ferè oppressam, errores autem atque abusus confirmatos atque defensos, denique reformationem tam in capite quàm in membris splendide & sæpissime quidē promissam, nequiter tamen & nunquam nedum præstitam, sed ne semel quidem incœptam: ut iam non dicam, per Concilia papistica ereptam esse potestatem

tem ſancto magiſtratui, erepta dominia & iura principibus, & afflictos atque oppreſſos eſſe reges & Imperatores pios. Manſit certè in eccleſia toties & à tot tantoq; tempore accuſata deformatio, mānſit ſacrorum omnium prophanatio, manſit morum in omnibus ordinibus corruptio, manſit illa Papæ omnibus ſcripturis ſanctis contraria monarchia & Epiſc. oligarchia, manſerunt incolumes oligarchicæ leges. Sedet enim in ſolio ſuo Pont. quod ſupra omniū regū thronos malis artibus & ui iniuſtiſſima cuexit. Idē exemit ſe omniū in orbe fidelium cēſuris atq; iudicijs, ſemetipſum conſtituit uniuerſorū iudicem, plenaria ſibi uſurpata poteſtate tā in terra quàm in cœlis. Ergo ſi huic ſe opponat rex aut princeps aliquis, illumq; ſecūdum regulā uerbi dei & ſacroſancti euangelij Ieſu Chriſti, in ordinem redigere uelit, ferit ille hunc anathemate. Si uerò doctores eccleſiarum illum accuſent, ſcripturarūq; teſtimonijs demonſtrare uelint, quod tanta ſibi contra uerbum dei uſurpet Pontifex, præiudicio iniquiſſimo protinus opprimūt. Audiuimus enim omnes eos à Papa iamdudum hæreſeos crimi

nis condemnatos esse, qui sedi eiusq; se opposuerint placitis, quos & (tametsi datus sit eis saluus conductus) ferro igniq; è medio tollere mandauit principibus, quod nisi actutum faciant, deuouisse & hos.

Idem ille Pontifex usurpat sibi indicendorum gubernandorumq; generaliū Conciliorum authoritatem. Ergo si quādo coeat Cōcilium, huius unius certè authoritate coit, qui interim ab omnibus accusatur, ac cogitur preterea instituiturq; per hunc, nō ex iudicibus æquis, ex omnibus Christianæ religionis ordinibus congregatis, sed à coniuratis duntaxat, ab ijs inquam qui mutuis datis acceptisq; sacramentis firmissime inter sese coaluerunt: quorum una omnium uox est, uelle se Papam, & regalia S. Petri, sic monarchiam suam uocant, & totum denique Papatum defendere, contra omnes homines: quia ipse Pontifex iurare iubetur à Constantiē. Concilio, quod fidē receptam in generalibus Conciliis, etiam Lateranen. Lugdunen. & Viennen. defensare uelit usque ad sanguinem. Itaque si hæc firma esse debent, quis obsecro collationi dabitur locus? Ideoque si ab huiusmodi Con-

di Concilijs abhorruerunt seculis aliquot, & abhorrent adhuc fideles, cùm principes doctoresq; tum populi, quis obsecro, qui modò quid sit æquum & iustum sciat, miretur? Quis enim in causa ciuili se ijs subijciat iudicibus, qui cùm sint accusati uel rei, pergant tamen esse & actores uel accusatores & iudices?

Proinde iure optimo pij proximorum aliquot seculorum postularunt, & omnes qui secundum sacrosanctum Euangelium nomina sua Christo dederunt, postulãt adhuc, neq; unquam postulare desinent Concilium, quod congruat cum Apostolico illo, quod inquam sit Christianum, liberum, atque catholicum. Christianum erit, quod non ab hostib. Christi, sed ab ecclesia Christi per principes & doctores Christianos, ad exemplum Apostolicum in solius Christi nomine, & ad gloriã solius Christi promouendam conseruandamq; cõgregatur, in quo omnis gloria uni Christo domino ad gloriam dei patris & uerbo eius tribuitur. Non enim alium finem habet Christianum Concilium, quàm gloriã dei in Christo, & ueram hominis salutem per Chri-

Postulant pij Concilium legitimum.

Christianũ Concilium.

ſium, qui ſolus eſt caput & monarcha eccleſiæ, rex & pontifex, mediator & interceſſor coram patre, hoſtia, ſatisfactio, ſeu propitiatio, & ſalus unica omniũ fidelium. Non alium denique finem habet Chriſtianum Concilium, quàm ſynceram, moderatam, pacatamq; inquiſitionem ueritatis, & eccleſiæ incolumitatem atque tranquilli tatem. In Chriſtiano Concilio ſoli libri, qui uocantur, & ſunt canonici uel authentici, authoritatem habent, ac ſunt ipſa regula, ſecundum quam omnia tractantur atq; probantur, inſtituunturq; in Concilio. Patribus quidem credit etiã Chriſtianum Concilium, ſed quantum illi uerbo dei crediderunt, & ſua demonſtrarunt atq; confirmarunt per ſcripturas ſanctas. Quæ à ſcripturis aliena ſunt, aut cum his pugnãt, nullam in Chriſtiano Concilio authoritatem habent, quocunque tandem fuco ſint tincta, quocunque nomine ſint ornata, ſiue dicantur Concilia, ſiue Traditiones, ſiue Conſuetudines aut placita uetuſtatis. Similiter nõ recipit Chriſtianum Concilium alium ſcripturæ ſanctæ ſenſum, quàm Chriſtianũ, id eſt fidei & charitati Chriſtianæ conformẽ,

Libri canonici.

Brnfus ſcripturæ.

&

& ex ipsis scripturis petitum, & per collationem locorum scripturę illustratum. Per semetipsam enim, secundum regulam fidei & charitatis ad gloriam dei, salutemq; fidelium, scripturam interpretari oportere affirmat ipsa pietas. Vnde non audit eos qui clamant scripturam esse interpretandā secundum sensum Romanæ ecclesiæ, nisi hic congruat cum regula modò exposita. Nec agnoscit Christianum Concilium iudicem, uel Papam, uel ullum hominem, sed Christum solum, iudicantem secūdum uerbum suum. Nec præponunt suam authoritatem homines pij scripturis sanctis, sed cum audiunt aliquid proponi ab hominibus, iudicant aut examinant hoc potius per scripturas, omnémque gloriam uerbo dei tribuunt: arbitrio hominum & iudicio merè humano nihil tribuunt, neque ueritatem huic subijciunt. Iudex in Concilio.

Cum autem Christianum dicimus Concilium, simul & ordinarium & legitimum intelligimus. Omnia enim in ecclesia fieri debent, iuxta ordinem & decorum. Modestia ergo seruanda est in dicendo & agendo. Ordo non est turbandus, confusio est

modis omnibus fugienda. Audiendi omnes, quantum satis est. Nemo tamen plus petat quàm æquum sit. (Has leges non ego dicto, sed quid semper sibi in Christiano dari Concilio postularint & adhuc postulent pij expono.) Deponēdi sunt praui & uehementes affectus, iræ uidelicet, inuidiæ, contemptus, cōtumeliæ, superbiæ, dominationis, & acerbitatis. Nihil dicēdum est à proposito alienū: ostētatio nulla se immiscat. Fugiendæ rixæ aut altercationes, scommata omittenda atq; conuitia. Denique capita de quibus differendum est in Concilio atque consultandum, prius sunt proponenda palàm omnibus, ut quisque præmeditate & cum ratione agat. Hæc omnia requirit Christianum Concilīū, sicuti & hoc ante omnia, ne rebus infectis discedatur ex Concilio. Abroganda est enim Christiano Concilio omnis doctrina praua & scripturis contraria, unà cum uniuersa impietate, idololatria, superstitionibus & abusibus. Nihil ne uestigij quidem de his omnibus est relinquendum; in locum uerò proculcati erroris, restituenda est pura ueritas, syncera religio, & legitimus deóque placens cultus

Reformatio.

cultus: pax & tranquillitas, concordiaq́, quantum fieri potest, restituenda est eccle się. Instituí ergo debet Christiano hoc Con cilio reformatio totius cleri & uniuersí po puli. Emendenda uita Christianis parum digna. Tollenda scandala, adde & grauamina omnia. Neque parcendum hic ullo ordini sexui aut ætati.

Liberum Concilium.

Porrò liberum erit Concílium, ad quod non modò liberum erit uel accedere uel recedere, cùm res ipsa popoſcerit, & æquitas permiserit, sed in quo omnium ora sint uerè libera, liceatq́ loquí quod uerũ est: & si ex zelo aliquid dicatur (at quod dictum est, durum uideatur, in scripturis tamẽ sanctis non dissimile ei, quod dictum est, inueniatur) ne cui damno sit. Liberum erit Concilium, si locus in quo congregatur, ita sit firmus, instructus, & munitus, ut nulla sit uel proditio uel uis metuenda pijs. Non enim oportet locum esse suspectum, & in illius potestate, qui uenientes lædere cupit. Quod si personæ, quas Concilio interesse necesse est, parum sint tutæ, dentur obsides, detur saluus conductus, sicuti factum est in Basilienſi Concilio cum Bohemis.

Seruetur autem data fides, ſicuti uiolata refertur Huſſio in Concilio Conſtantienſi. Cæterùm nullo modo liberum erit Concilium, niſi leges & præſcriptiones Papiſticæ, & iuramenta ſemel omnia, de quibus antea dictum eſt, aboleantur, & uniuerſa diſſoluatur coniuratio.

Vniuerſale uel generale Concilium.

Catholicum erit, ſi non pauci Pontificis coniurati conuenerint, ſed ex omnibus regnis & nationibus orbis Chriſtiani fideliſſimi, ſanctiſſimi & doctiſſimi placidè conſederint. Non enim excludendi ſunt Concilio, qui oleo non ſunt delibuti. Etenim ſpiritus ſanctus ad chriſma iſtorum hominum non eſt alligatus. Siue ergo principes ſint, ſiue eccleſiarum miniſtri, ſiue ex plebe, ſingulari tamen donati eloquio, ſapientia, rerumq; peritia, denique inſignes fuerint uitæ puritate & ſanctimonia, ualuerintq; iudicio & authoritate, hi ſanè præ aliis admittēdi ſunt in Concilīū, & ad Concilij collationes, conſultationes, & definitiones. Quis enim conſtituit ſolos epiſcopos & abbates, & hos fermè indoctos rerumq; imperitos, & uitæ non uſquequaq; probatę iudices ſuper omnes reges & principes,

cipes, ſuper ſanctum magiſtratũ, ſuper doctores & miniſtros eccleſiarum, ſuper ipſum denique dei populum, qui peculium illius eſt? S. Petrus prohibet presbyteris eccleſiæ, dominationẽ exercere aduerſum clerũ uel hæreditatẽ domini, contra ipſam eccleſiã Chriſti. Omnia itẽ, inquit Apoſtolus Paulus, ueſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors, ſiue preſentia, ſiue futura: omnia inquã ueſtra ſunt, uos autem Chriſti, Chriſtus uerò dei. Idem iterum, Nolumus uobis, inquit, dominari nomine fidei, ſed uolumus adiutores eſſe gaudij ueſtri.

Niſi uerò huiuſmodi Chriſtianum, liberum, & uniuerſale detur pijs in eccleſia Concilium, ex diuerſo ſanè Concilio nullus erit ſalubris expectandus fructus: imò ſi æquiſſima poſtulantibus obtrudatur ſumma iniquitas, id eſt, ſi eccleſiæ poſtulanti Chriſtianum, liberum, & uniuerſale Concilium, obtrudatur Concilium Papiſticum coniuratorum, qui præiudicijs ſuis conentur pro more antiquo non modò pios, ſed ipſam quoque Chriſti ueritatem opprimere, erroreſq; retinere inolitos, promouere Conclusio.

ſuam oligarchiam, & principibus imperitare, ſanctiſq; magiſtratibus dictare leges iniquiſſimas, rurſus illæ ipſæ calamitates, illa ipſa diſſidia, illę ipſę ſeditiones, cędes, & bella denique, & errores corruptelæq; deformes diuexabunt & atterent eccleſiam, quæ antea quoque, ſicuti in commemoratione hiſtorica ſuperius recenſuimus, pios omnes excarnificarunt. Viuit autem uindex & aſſertor eccleſię ſuę Dominus Deus exercituum, qui poteſt, & uult tandem iniurias ulciſci eccleſiæ ſuæ dilectæ illatas. Metuant ergo hunc omnipotẽtem Deum, quem ſcriptura uocat ignem deuorantem aut conſumentem, qui omnem alioqui timorẽ animis ſuis abſterſerunt, & ferè ignorant ſe eſſe homines mortales. Supplicent autẽ omnes pij domino deo noſtro, poſtulãtes ab ipſo per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut pro immenſa bonitate ſua noſtri miſertus, uel per Concilium Chriſtianum, uel per aliam rationem ipſi placentem, pro bona ſua uoluntate, ueritatem Euangelij ſui ſacroſancti mundo magisma-giſq; perſpicuè aperiat, eamq; in animis eorum, qui receperũt, confirmet, oppugnan-

tes

tes autem illam clementer conuertat, aut ita coherceat pro sua potentia, ne quod instituunt contra ueritatem Euangelij, prospere procedat.

Si uerò nullum omnino potest impetrari à proceribus orbis Christiani ullis querelis & supplicationibus Concilium legitimum, intelligunt pij omnes sibi non ideò cunctandum esse aut hærendum in ancipiti, maximè cùm liquidò uideant tot iam annis frustrà promissum esse Christianũ Concilium. Pergant ergo alacres in uia domini, qui receperunt uerbũ domini: qui nondum receperunt, recipiant adhuc, si modò seruari uolũt. Vrget nos omnes dominus, & dicit, Vigilate & orate: nescitis quando dominus uester uenturus sit: ut cùm uenerit, introeatis cum ipso ad nuptias. Festinet ergo quilibet, obliuiscatur rerum præsentium omnium, & discat ex prædicatione Euangelica, quòd per solum Christum patet uia ad uitam. Hunc uera fide amplectatur, in hoc uno acquiescat, & sanctè uiuat. Oret quisque sedulò, ut hæc per dei gratiam possit. In solius Christi spe tuti & læti erimus in die illa iudicij, quam non lon

Quid agendum pijs, si negetur legitimum Concilium.

gè abeſſe, multa ſigna & teſtimonia clamãt. In ea demum die congregabitur uerè œcumenicum & uniuerſale Conciliũ omnium hominum, ex omnium ſeculorum electis reprobiſq. In eo fiet deciſio & executio iuſtiſſima & potentiſſima ab unico uniuerſorum iudice Ieſu Chriſto, in ſalutem quidem omnium fidelium, & ad infideliũ perniciem ſempiternam. Beati qui inuenientur tunc in uera fide Chriſti. Domine Ieſu adauge nobis fidem. Domino deo noſtro, patri noſtro benigniſſimo ſit laus, gratiarũ actio, & gloria per Ieſum Chriſtũ unicum ſeruatorem noſtrum, qui regnat unus deus cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum.

Amen.

Apocal. 22.

Ego Ieſus ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina. Et ſponſus & ſponſa dicũt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni. Et qui ſitit, ueniat: & qui uult, accipiat aquam uitæ gratis. Etiam uenio citò, Amen. Etiam, ueni domine Ieſu.

FINIS.

INSIGNIS S. AVGVSTINI *locus ex 16. cap. de Vnitate Ecclesiæ contra Donatistas, de authoritate scripturæ sanctæ, Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum, &c.*

Augustinus loquens de Donatistis, Vtrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi diuinarum scripturarũ Canonicis libris ostendant. Quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere, quod in ecclesia Christi sumus: quia ipsam quam tenemus commendauit Mileuitanus Optatus, uel Mediolanẽsis. Ambrosius, uel alij innumerabiles nostræ cõmunionis Episcopi: aut quia nostrarum collegarum Concilijs ipsa prædicata est: aut quia per totum orbem, in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia uel exauditionum uel sanitatum fiunt, ita ut latentia, per tot annos, corpora martyrum (quod possunt à multis interrogantes audire) Ambrosio fuerint reuelata, et ad ipsa corpora cęcus multorum annorum, ciuitati Mediolanensi notissimus, oculos lumẽq; receperit: aut quia ille Somnium uidit, & ille spiritu assumptus audiuit, siue ne iniret in partem Donati, siue ut recederet à parte Donati. Quæ

Scriptura. Ecclesia. Patres. Concilia. Miracula. Reuelatio. Somnium.

cunq; talia in catholica eccleſia fiunt, ideò ſunt approbanda, quia in catholica fiunt: non ideo ipſa manifeſtatur catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipſe dominus Ieſus, cum reſurrexiſſet à mortuis, & diſcipulorum oculis uidendū, manibusq; tangendum corpus ſuum offerret, ne quid tamē fallacia ſepati arbitrarentur, magis eos teſtimonijs legis & prophetarum & Pſalmorum confirmandos eſſe iudicauit, oſtendens ea de ſe impleta, quæ fuerant tanto ante prædicta. Sic & eccleſiam ſuam cōmendauit, dicens, prædicari in nomine ſuo pœnitentiam peccatorum per omnes gentes, incipientibus à Hieruſalem. Hoc in lege in prophetis & in Pſalmis eſſe ſcriptū ipſe teſtatus eſt: hoc eius ore commēdatum tenemus. Hæc ſunt cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Legimus in Actibus Apoſtolorum dictū de quibuſdam credentibus, quod quotidie ſcrutarentur ſcripturas, an hæc ita ſe haberent? Quas utique ſcripturas niſi canonicas legis & prophetarum? Huc acceſſerunt Euangelia, Apoſtolicæ epiſtolæ, Actus apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis, Scrutamini hæc omnia, & eruite

Fundamenta.

Canonicæ ſcripturæ.

eruite aliquid manifestum, quo demonstre tis ecclesiam uel in sola Aphrica remansis- se, uel ex Aphrica futuram esse, ut im- pleatur quod dominus dicit, Prędicabitur hoc euangelium in uniuerso orbe, in testi- monium omnibus gentibus, & tunc ueni- et finis. Sed aliquid proferte, quod non e- geat interprete, nec unde conuincamini, quod de alia re dictum sit, & uos illud ad uestrũ sensum detorquere conemini, &c. Interpre- tatio.